rit, perenni ſibimet iure vendicet & retentet. Nec contra hunc numerum (in quo etiam veritas perfectè completur ætatis) attentet commoueri vox cuiuſcunq; petitionis. Serui verò fiſci, quorum de ſtirpe ſeruili euidens origo patuerit, quamuis reſoluti atq; per diuerſa vagantes nihil in penſione tributi perſoluerint: quamuis fuga vel latebris, ſeu patrocinio quorumcunque defenſi latuerint, ſeruitutis conditionem non erunt penitus euaſuri, ſed in originem priſtinam abſq; temporum præiudicio redigẽdi. Ab huius ſententia legis illis tantummodo ſegregatis, qui percipere valuerunt regia collatione remedia libertatis.

FL. CIN. REX.

*De interruptione tricennii.*

SÆpe proprium ius alterius longinqua poſſeſſio in ius tranſmittit alterius. Nam quod xxx. quiſque annis expletis abſque temporis interruptione poſſidet, nequaquam vlterius per repetentis calumpniam amittere poteſt. Vt ergo tam petenti quam poſſeſſori hinc competenter poſſit eſſe conſultum, id ab omnibus obſeruandum eſt: vt quicunq; rem quæ ab alio per quindecim annos aut ſuprà, infrà triginta tamen poſſeſſa eſt, ſui iuris eſſe aſtruxerit: & poſſeſſor fortaſſe ſiue à iudice ſiue à repetente commonitus, vel reddere diſtulerit, vel rationabiliter reſponſum parare contempſerit, aut quamcunque dilationem videatur afferre: ſiue etiam eiuſdem rei quæ petitur abſentem poſſeſſorem, hoc eſt in alia prouincia, aut in expeditione publica poſitum eſſe conſtiterit: tunc iudex id quod repoſcitur, id eſt, ſiue poſſeſſio ſiue quodcunque fuerit, pro interruptione temporis corã duobus teſtibus aut tribus ingenuis petenti conſignare procuret: ita vt ſi iudex rem ipſam petenti ſaionis inſtantia præceperit conſignari, per epiſtolam manu ſua ſubſcriptam eundem ſaionem iuxta modum ſubterius comprehenſum informet. Et ſi forte poſſeſſio eſt vbi repoſitio alicuius ſubſtantiæ ſit, ne per rationales excuſatio fiat, anulo iudicis aut ſaionis qui locum conſignat, eadem oſtia, vbi res eſt repoſita, per illos octo dies maneant obſignata. Et ille qui accepit, octo tantum diebus poſſideat, & nihil exinde expendere aut euertere vel alienare præſumat: ſed in eo tantum loco quidquid voluerit aut potuerit laboris exerceat. Poſt octo autem dies rem intemeratam dimittat, ab eo quem poſſidentem inuenerat indubitanter apprehendendam, & nullam ex hoc ille qui octo diebus poſſedit, calumpniam pertimeſcat: ita tamen vt ſi vel ipſe, vel pars eius aut poſteritas infra xxx. annos à die interrupti temporis rem quam ſibi conſignari popoſcerat, ſui iuris eſſe conuincat. Nam ſi conuinci eadem actio taliter non potuerit, ille quidem qui ſuperſtes eſt, vt qui dominium alienum inquietauit, rei domino velut iniuſtus ſatiſfaciat petitor. Aut ſi aliquod expenderit aut euerterit, in quadruplum reddere compellatur. Parti vero eius aut poſteritati nulla ex hoc vlterius calumpnia moueatur: illa euidentiſſime conditione taxata, vt ſi per diuerſas res, aut in diuerſis locis hæc de qua agitur fuerit diſperſa facultas, & ex omnibus his quæ ad eandem pertinent repetitionem vnumquemque fuerit ſecundum legis præſentis decretum à iuſſione iudicis conſignatum, pro traditione teneatur omnium rerum.

*Exemplar epiſtolæ informationis.*

ILle iudex ſaioni illo, Informamus te, vt locum illum, quem ille repetit, & nunc in dominio illius eſſe videtur, iuxta legis ordinem, corã duobus aut tribus ingenuis illi conſignes, octo tantum diebus poſſidendum: ita vt ſi aliquid ibi repoſitionis habetur, & anulo domini ſui non eſt ſignatum, propter auferendam excuſationem rationalium per illos octo dies anulo tuo maneat obſignatum. A te vero nihil exinde aliquatenus auferatur.

VI. FLS. RCDS. REX.

*Ne tricennale tempus impediat religatis.*

QVantò preſſuris conditio vrgetur humana, tanto multis remediis clementiam principalem neceſſitati conſulere decet humanæ. Quapropter cum quiſque nobilis atque inferior, ingenuus ſiue etiam ſeruus, regio iuſſu in cuſtodiam vel exilium extiterit deputatus, & contingat eum quandoque aut liberationem inuenire, aut ad ſua bona reuerti: ſi quamcunque rem in repetitione videatur habere, non illud tempus pro tricennali vel quinquagenario annorum numero in eius actione iũgatur, quod ipſe

ipſe in cuſtodia vel in exilio fuiſſe dinoſcitur: ſed remoto omni illo tẽpore, quo euidenter eidem perſonæ in preſſuris & in penuria conſtitutæ ſibi debitum negotium proſequi non licuit. De cætero vero iuxta legum decreta vel tempus in eius obiectione legalis ordo maneat conſtitutus.

## III. TITVLVS.
## DE TERMINIS ET LIMITIBVS.

I. *Vt termini & limites conſeruentur.*
II. *De colliſis & euulſis limitibus.*
III. *Quid obſeruetur, ſi de terminis contentio oriatur.*
IV. *Si alter intra terminos alienos poſſidere dicatur.*
V. *Vt ſi aliqua pars de aliquo loco tempore Romanorum remota eſt, ita perſiſtat.*

### I.
*Vt termini & limites conſeruentur.*

ANTIQVOS terminos & limites ſic ſtare iubemus, ſicut antiquitus videntur eſſe conſtructi, nec aliqua patimur eos commotione diuelli.

### II.
*De colliſis & euulſis limitibus.*

QVi ſtudio peruadendi limites complanauerit, aut terminos fixos fuerit auſus euellere: ſi ingenuus eſt, per ſingula ſigna vel notas xx. ſolidos cui fraudem fecit cogatur inferre: ſi ſeruus eſt, per ſingula ſigna l. flagella ſuſcipiat. Si quis dum arat, aut pomaria vel vineam plantat, terminum caſu non voluntate conuellerit, vicinis præſentibus reſtituat terminum: & poſtmodum ex hoc nullum dampnum aut periculum vereatur.

### III.
*Quid obſeruetur, ſi de terminis contentio oriatur.*

QVotienſcunque de terminis fuerit orta contentio, ſigna quæ antiquitus conſtituta ſunt oportet inquiri: id eſt, aggeres terræ ſiue arcas, quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuiſſe conſtructas atque congeſtas: lapides etiam, quos propter indicia terminorum notis euidentibus ſculptos conſtiterit eſſe defixos. Si hæc ſigna defuerint, tunc in arboribus notas, quas decurias vocant, conuenit obſeruari: ſed illæ quæ antiquitus probantur inciſæ.

### IV. FLS. GLS. RCDS. REX.
*Si alter intra terminos alienos poſſidere dicatur.*

SI quis intra terminos alienos, per abſentiam aut per ignorantiam domini, partem aliquam fortè poſſederit: ita vt diuturna manſio, ac ſic etiam multo tẽpore inolita, vel amplius quàm l. annis hominum, partis eius habitatio publice & immobiliter conſiſtere aut permanere nullatenus comprobetur: ſtatim cum per antiqua ſigna euidentibus inſpectoribus fines loci alterius cognoſcuntur, amittat domino reformanda. Nec contra ſigna euidentia debitum dominium vllum longæ poſſeſſionis tempus excludat: ſed hoc ſi ex his contendentibus vnius poſſeſſoris ſiue auctorũ eius dominiũ reperiatur adueniſſe poſtremũ. Nã ſi tanta tẽpora exceſſerint, vt nec ipſi nec auctores eorũ nouerint, cuius primum aut dominium aut poſſeſſio fuit: ſed nec per teſtem aut per ſcripturã poterit poſtremus poſſeſſor oſtendi: quia † dubium primæ poſſeſſionis patet indiciũ, vnuſquiſq; quod poſſidet irreuocabiliter poſſidebit. Verùm vbi vnus poſſeſſor ſine alterius dominii manſionibus publicè poſſidens per euidentia ſigna locum ex integro indicare videtur: nulla ratio ſinit, vt quamuis per longa tempora eius poſſeſſionis integritas decerpatur. Vnde ſi alter illic, ſed per præſumptiuam, introduxerit nouitatem, nihil nocere poterit poſſeſſori. Si verò idem aliena appetens, aliquid ex hoc repetit, non preſumptiuè ſed per iudicium, ſi meretur obtineat. Nam ſi inconditè & improuiſe attentet aliquatenus accedere velle: liceat hunc domino verè, vt violentum accuſare aut inuaſorẽ, per iudicium legibus abdicare.

† nullum.

### V.
*Vt ſi aliqua pars de alio loco tempore Romanorum remota eſt, ita perſiſtat.*

SI quodcunque ante aduentum Gothorum de alicuius fundi iure remotum eſt: &

aliquam poſſeſſionem, aut vẽditione, aut donatione, aut diuiſione aut aliqua tranſactione translatum eſt: id in eius fundi, ad quem à Romanis antiquitus approbatur adiunctum, iure conſtat. Cùm autem proprietas fundi nullis certiſſimis ſignis aut limitibus probatur, quid debeat obſeruari eligat inſpectio iudicum quos partim conſenſus elegerit: ita vt iudex quos certiores agnouerit vel ſeniores, faciat eos ſacramenta præbere, quòd terminos ſine vlla fraude demonſtrauerint. Et tamen nullus nouum terminum ſine conſortis præſentia aut ſine inſpectore conſtituat. Quod ſi forſitan liber hoc fecerit, damnum peruaſionis excipiat quod legibus continetur. Si verò id ſeruus admiſerit domino neſciente, CC. flagella publicè extenſus accipiat, & nullũ ex hoc præiudicium domino computetur.

# DE ÆGROTIS, MEDICIS, MORTVIS ATQVE TRANSMARINIS MERCATORIBVS, LIBER VNDECIMVS.

## I. TITVLVS.

## DE MEDICIS ET ÆGROTIS.

I. *Ne abſentibus propinquis mulierem medicus flebotomare præſumat.*
II. *Ne medicus cuſtodia retentos viſitare præſumat.*
III. *Si medicus pro ægritudine ad placitum expectetur.*
IV. *Si ad placitum ſuſceptus moriatur infirmus.*
V. *Si de oculis medicus ypociſmata tollat.*
VI. *Si per flebotomum ingenuus vel ſeruus mortem incurrat.*
VII. *De mercede diſcipuli.*
VIII. *Ne indiſcuſſus medicus cuſtodiæ deputetur.*

### I.

*Ne abſentibus propinquis mulierem medicus flebotomare præſumat.*

NVLLVS medicus ſine præſentia patris, matris, fratris, filii, aut auunculi, vel cuiuſcunq; propinqui, mulierem ingenuam flebotomare præſumat: excepto ſi neceſſitas emerſerit ægritudinis, vbi etiam contingat ſupradictas perſonas minimè adeſſe, tunc aut coram vicinis honeſtis, aut coram ſeruis aut ancillis idoneis, ſecundum qualitatem ægritudinis, quæ nouit pendat. Quod ſi aliter præſumpſerit, decem ſolidos propinquis aut marito coactus exſoluat. qui a difficillimum non eſt, aut ſub tali occaſione ludibrium interdum adhæreſcat.

### II.

*Ne medicus cuſtodia retentos viſitare præſumat.*

NVllus medicorum vbi comites, tribuni, aut iudices, aut villici in cuſtodiam retruduntur introire præſumat ſine cuſtode carceris: ne illi per metum culpæ ſuæ mortem ſibi ab eodem explorent. Nam ſi aliquid mortiferum his ab ipſis medicis datum vel indultum fuerit, multum publicis rationibus deperit. Si quis hoc medicorum præſumpſerit, ſententiam cum vltione percipiet.

### III.

*Si medicus pro ægritudine ad placitum expectetur.*

SI quis medicum ad placitum pro infirmo viſitando aut vulnere curando popoſcerit: vt viderit vulnus medicus, aut dolores agnouerit, ſtatim ſub certo placito cautione emiſſa infirmum ſuſcipiat.

### IIII. ANTIQVA.

*Si ad placitum ſuſceptus moriatur infirmus.*

SI quis medicus infirmum ad placitum ſuſceperit, cautionis emiſſo vinculo infirmum reſtituat ſanitati. Certè ſi periculum contigerit mortis, mercedẽ placiti penitus non requirat, nec vlla inde vtriq; parti calumnia moueatur.

V.

*Si de oculis medicus ypociſmata tollat.*

SI quis medicus ypociſma de oculis abſtulerit, & ad priſtinam ſanitatem perduxerit infirmum, v. ſolidos pro ſuo beneficio conſequatur.

VI.

*Si per flebotomum ingenuus vel ſeruus mortem incurrat.*

SI quis medicus dum flebotomum exercet, ingenuum debilitauerit, c. ſolidos coactus exſoluat. Si vero mortuus fuerit, continuo propinquis tradendus eſt, vt quod de eo facere voluerint habeant poteſtatem. Si verò ſeruum debilitauerit aut occiderit, huiuſmodi ſeruum reſtituat.

VII. ANTIQVA.

*De mercede diſcipuli.*

SI quis medicus famulum in doctrina ſuſceperit, pro beneficio ſuo duodecim ſolidos conſequatur.

VIII. ANTIQVA.

*Ne indiſcuſſus medicus cuſtodiæ deputetur.*

NVllus medicum inauditum (excepta homicidii cauſa) in cuſtodiam retrudat. Pro debito tamen ſub fideiuſſore debet conſiſtere.

## II. TITVLVS.

## DE INQVIETVDINE SEPVLCHRORVM.

I. *De violatoribus ſepulchrorum.*

II. *Si ſepulchrum mortui auferatur.*

I.

*De violatoribus ſepulchrorum.*

SI quis ſepulchri violator extiterit, aut mortuum expoliauerit, & ei aut ornamenta aut veſtimenta abſtulerit: ſi liber hoc fecerit, libram auri coactus exſoluat hæredibus mortui, & quæ abſtulit reddat. Quod ſi hæredes non fuerint, fiſco noſtro cogatur inferre: & præterea c. flagella ſuſcipiat. Seruus verò, ſi hoc ſcelus admiſerit, ducenta flagella ſuſcipiat, & inſuper flammis ardentibus exuratur: nihilominus redditis cunctis quæ auſus eſt abſtuliſſe.

II.

*Si ſepulchrum mortui auferatur.*

SI quis mortui ſarcofagum abſtulerit, dum ſibi vult habere remedium: duodecim ſolidos iudice inſiſtente heredibus mortui cogatur exſoluere. Quòd ſi domino iubente ſeruus hoc admiſerit, dominus pro ſeruo componere non moretur. Seruus vero, ſi ex ſua voluntate hoc admiſerit, nihilominus c. flagella ſuſcipiat: & quod tulerat, & loco & corpori proprio reformetur.

## III. TITVLVS.

## DE TRANSMARINIS NEGOTIATORIBVS.

I. *Si tranſmarini negotiatores furtiua vendere detegantur.*

II. *Vt tranſmarini negotiatores ſuis & telonariis & legibus audiantur.*

III. *Si tranſmarinus negotiator mercenarium de locis noſtris ſecum tranſtulerit.*

IV. *Si tranſmarinus negotiator mercenarium pro commercio ſuſceperit.*

I.

*Si tranſmarini negotiatores furtiua vendere detegantur.*

SI quis tranſmarinus negotiator aurum, argentum, veſtimenta, vel quælibet ornamenta prouincialibus noſtris vendiderit, & competenti pretio fuerint venundata: ſi furtiua fuerint poſtmodum approbata, nullam emptor calumniam pertimeſcat.

II. ANTIQVA.

*Vt tranſmarini negotiatores ſuis & telonariis & legibus audiantur.*

DVm tranſmarini negotiatores inter ſe cauſam habuerint, nullus de ſedibus

† a telonariis ſuis.

noſtris eos audire præſumat, niſi tantummodo ſuis legibus audiantur † apud telonarios ſuos.

III.

*Si tranſmarinus negotiator mercenarium de locis noſtris ſecum tranſtulerit.*

NVllus tranſmarinus negotiator de ſedibus noſtris mercenarium audeat in loca ſua transferre. Qui contra hoc venire tentauerit, inferat fiſco noſtro auri libram vnam, & præterea ducenta flagella ſuſcipiat.

IV.

*Si tranſmarinus negotiator mercenarium pro commercio ſuo ſuſceperit.*

SI quis tranſmarinus negotiator mercenarium de ſedibus noſtris pro vegetando cõmercio ſuo ſuſceperit, det pro beneficio ſuo ſol. III. per annum vnum, & nihilominus impleto placito ſeruum domino reformare cogatur.

# DE REMOVENDIS PRESSVRIS, ET OMNIVM HÆRETICORVM SECTIS † EXTIRPATIS, LIBER XII.

† extinctis.

## I. TITVLVS.

## DE TEMPERANDO IVDICIO, ET REMOVENDA PRESSVRA.

I. *De commonitione principis, qua iubetur vt iudicium temperent iudices.*
II. *Vt nullus ex his qui popularem accipiunt poteſtatem & curam, quoſcunque de populis, aut in ſumptibus, aut in indictionibus inquietare pertemptet.*
III. *Lex in confirmatione concilii edita.*

I. FLS. GLS. * REX.

*De commonitione principis, qua iubetur vt iudicium temperent iudices.*

QVI neceſſariam culpis hominum ſeueritatem diſponimus, conuenit vt Deo placita miſeris remedia impendamus. Obteſtamur itaque iudices omnes, cunctoſque quibus iudicandi poteſtas conceſſa eſt, teſte virtutum omnipotente domino, commonemus ad inueſtigandam quidem rei veritatem in cauſis omnib. ſolertes exiſtere, & abſq; perſonarum acceptione negotiorum omniũ contentiones examinare: circa victas tamen perſonas, ac præſertim paupertate depreſſas ſeueritatem legis aliquantulum temperare. Nam ſi in totum iudicii proprietas attendatur, miſericordiæ proculdubio manſuetudo deſeretur.

II. FLS. RCDS. REX.

*Vt nullus ex his qui populorum accipiunt poteſtatem & curam, quoſcunque de populis, aut in ſumptibus, aut in indictionibus inquietari peremptet.*

OMnes quos regni noſtri felicitate tuemur, nihil aliud eorũ vtilitatib. conſulentes, momentis omnibus ſtatuimus, niſi vt nullam diſpendiorum ſuſpicionem patiantur. Quid eſt enim iuſtitiæ tam proximum vel nobis familiare, quam piam fidelib. manum porrigere, & iuſte hos quos regimus in diuerſis negotiis adiuuare? Decernentes igitur, & huius legis noſtræ ſeueritate conſtituentes iubemus, vt nullis indictionib. exactionibus operibus, vel angariis, comes, vicarius, vel villicus pro ſuis vtilitatib. populos aggrauare præſumant: nec de ciuitate vel de territorio annonam accipiant. quia noſtra recordatur clementia, quod dum iudices ordinamus, noſtra largitate eis compendia miniſtramus. Simili auctoritate iubemus rectorem prouinciæ, ſiue comitem patrimonii, aut auctores fiſci noſtri, vt nullam in priuatis hominibus habeant poteſtatem, nullaque eos moleſtia inquietent: ſed ſi priuatus cum ſeruis fiſci noſtri habuerit cauſam, actor vel procurator commonitus in iudicio rectoris prouinciæ, vel iudicis territorii, vbi cauſa fuerit intromiſſa, ſuam repræſentet perſonam & minorem, vt diſcuſſo negotio diſtrictione legali vniuſcuiuſcunque emendetur exceſſus. Et quia dum regali cura actores noſtrarum perquireremus prouinciarum, comperimus quod numerarii vel defenſores annua vice mu-

ten-

tentur: qua detrimentum de cauſa noſtris non ambigimus populis euenire: ideoque iubemus, vt numerarius vel defenſor qui electus ab Epiſcopo vel populis fuerit, commiſſum peragat officium: ita tamen, vt dum numerarius, vel defenſor ordinatur, nullum beneficium iudici dare debeat, nec iudex præſumat ab eis aliquid accipere vel exigere. Quod ſi quis iudicum hanc noſtram tranſcenderit conſtitutionem, honore priuatus x. libras auri fiſco noſtro coactus reſoluat. Sacerdotes verò, quos diuina obteſtatione conuenimus, ſi exceſſum iudicum aut auctorum ſcierint, & ad noſtram non retulerint agnitionem: nouerint ſe iudicio concilii eſſe plectendos: & detrimenta quæ pauperes eorum ſilentio pertulerint, ex eorum rebus illis eſſe reſtituenda.

III. FL. RCNS. REX.

## In Nomine Domini Lex In Confirmatione Concilii Edita.

EXimia ſynodalis auctoritas, & veneranda eſt pariter, & tremenda: quæ in tantum per donum ſancti ſpiritus agitur, vt ex diuerſitate multorum animorum & cordiũ, vnum cor vnamque animam feciſſe monſtretur: dum numeroſitas aggregata Pontificum non per ſententiam diſcrepat, non per ſtilum diuerſa obiectat, nec per iudicium aliud vnus quàm vniuerſitas affirmat. Ideo reuerendum mihi conuentum ſynodalis concilii, in cuius medio præſentia ſancti ſpiritus ſe habitare promiſit deuotè venerans, inſtanterque honorans, ea quæ illorum ore, noſtræque gloriæ oratu digeſta ſunt, in notitiam deducimus ſingulorum. Illa dicimus ſynodalis concilii geſta, quæ anno iiij. regni noſtri in Toletana vrbe noſcuntur eſſe confecta. quorum inſtitutionum euidentia, vt ſine cunctatione hominibus innoteſcat: hinc ea ſpecialiter prælegimus renotanda. Eſt igitur primus Canõ de reddito teſtimonio dignitatis eorũ, quos profanatio infidelitatis, cum paulo traxit in ſocietatem tyrannidis, quos celſitudo noſtra, vna cum filiis, per huius noſtræ legis edictum, & teſtimonio nobilitatis priſtinæ vti, & rebus quas per auctoritatis noſtræ vigorem perceperint decernimus reueſtiri.

Item ſecundus eſt Canon de accuſatis ſacerdotibus, ſeu etiam optimatibus palatii atque gardingis: ſub qua eos iuſtitiæ cautela examinari conueniat, quos noſtræ gloriæ manſuetudo iuxta ipſius Canonis conſtituta, nullis tormentorum generibus ante publicam diſcuſſionẽ ſubiici cenſuit. Sed omnes qui deinceps fuerint accuſati, iuxta ſanctionem prædicti capituli erunt proculdubio iudicandi. Vnde id ſpecialiter obſeruandum fore cenſemus: vt quidquid contra hanc regulam ſententiæ noſtræ, vel prædicti Canonis inſtitutionem, aut in perſonam cuiuſquam fuerit actum, aut de rebus accuſatæ perſonæ extiterit iudicatum, iuxta prædicti Canonis inſtituta nullo vigore ſubſiſtat: quò perſona ipſa, aliter quàm decernimus iudicata, aut teſtimonii ſui dignitatem amittat, aut quæſtu rei propriæ careat.

Tertius quoque Canon eſt de tributorum principali relatione in plebe, vbi noſtrę gloriæ auctoritate ſimul & exhortatione ſancitum eſt: vt omne tributum præteritorum annorum, vſq; in annum primum regni noſtri, quod in priuatis ſiue in fiſcalibus populis noſtris reiacet, abſolutionis perpetuæ debeat ſanctione laxari: ea tantum præcipientes publicis theſauris exhiberi, quæ exacta non illata feciſſe conſtiterint.

Quartus poſt hæc ſequitur Canon, de monitione regia, quam prompto voluntatis *effectu omnis conuentus ſacerdotum atq; etiam ſeruorum condere prælegerint. * admiſs.

Quintus Canon ſequitur, ne defuncto principe relictam eius coniugẽ quiſquam ſibi aut in coniugio aut in adulterio audeat copulare.

Sextus deinde ſequitur Canon, vt, exceptis ſeruis vel libertis fiſcalibus, nullus de ſeruitu quorumlibet aut libertis deinceps ad palatinum tranſeat officium. Quod ſi fecerint, præſentis legis noſtræ edicto ad propriæ ſeruitutis iugum modis omnibus reducendi ſunt, qualiter aut dominis ſuis, ſi ſuperſtites ſunt, aut eorum propinquis (quib. decedentium ſucceſſio ex lege debetur) ſeruituri tradantur.

Poſt hunc ſeptimus eſt Canon, de iis qui pro accidentia iurgiorum altaria nudate præſumunt, vel luminaria Eccleſiæ ſubtrahunt.

Octauus quoq; ſequitur Canon, ne admonente metropolitano quiſquam ex confinitimis ad locum vbi inuitatur venire contempnat.

Nonus quoq; Canon ſubſequitur, de confirmatione concilii Toletani duodecimi, quod factum eſt anno primo gloriæ noſtræ.

Decimus huic Canon adiungitur, vbi ſpeciali ſententia definitur, vtrum audeant miniſtrare hi, qui pœnitentiam in ſacerdotio conſtituti accipiunt.

Vndecimus quoq; Canon habetur, ne quis alienum clericum, vel monachum ſuſcipiat fugientem.

Duodecimus poſt hæc Canon ſcribitur, de non excommunicandis à proprio Epiſcopo perſonis illis, quæ ad metropolitanum ſuum negotia ſua ſuggeſturi acceſſerint.

Vltimus & tertius decimus poſt hunc Canon ſubſequitur, de relatione gratiarum, quæ poſt peractionem concilij, Deo & principi perſoluantur. Quæ omnia præmiſſa ſynodalium inſtitutionum decreta, à præſenti die, vel tempore omni cura, omnique vigilantia, per cunctas regni noſtri prouincias decernimus obſeruanda: qualiter & perſpicuũ auctoritatis validę veſtigium ſubeant, & perpetuo vigoris ordine ſolidati perſiſtant. Quamobrem ſacræ huius legis oraculo, omnibus generaliter religioſis, atque etiam laicis ſub regni noſtri ditione manentibus, interdicimus pariter & iubemus, vt prędicta ſynodalia geſta nullus contempnat, nullus etiam præterire aut conuellere audeat. Nemo notus harum conſtitutionum iura reſoluat. Nemo incognitus neſcienti ſe obiectibus excuſare coniiciat. Nam à præmemorata ſubterius die vel tempore, & auctoritatis debitæ vigore pollebunt, & inſtitutionum ſuarum legibus, vel regulis cunctorum vniuerſalitas adſtringetur. Si quis autem huius noſtræ legis violator extiterit, ac non potius ea quæ pręmiſſa ſunt cuſtodierit, & diutinam Eccleſiaſticæ diſciplinę excommunicationē accipiat, & decimam partem rei ſuæ fiſci partibus ſociandam amittat. Quòd ſi nihil habuerit facultatis vnde prædictam compoſitionem perſoluere poſſit, abſque aliqua infamia ſui l. eum oportebit ictibus verberari. Huius igitur noſtræ legis decretum, quod in confirmatione huius ſacri concilii noſcitur promulgatum, glorioſæ manus noſtræ exaratione ſubſcripſimus, & ad perennem memoriam valorem ei perpetuum innodamus. Ita lex in confirmatione concilii Toleto, ſub die Id. Nou. ERA. ſeptingenteſima XXI. anno quoq; feliciter IIII. in Dei nomine Toleto.

## II. TITVLVS.

## DE OMNIVM HÆRETICORVM ATQVE IVDÆOrum erroribus amputandis.


I. *Quod poſt datas fidelibus leges, oportuit infidelibus conſtitutiones ponere legis.*

II. *De omnium hæreſium erroribus abdicatis.*

III. *De datis & confirmatis legibus ſupra Iudæorum nequitiam promulgatis.*

IV. *De cunctis erroribus Iudæorum generaliter extirpatis.*

V. *Ne Iudæi more ſuo celebrent paſcha.*

VI. *Ne Iudæi more ſuo fœdus nuptiale copulent.*

VII. *Ne Iudæi carnis faciant circunciſiones.*

VIII. *Ne Iudæi more ſuo iudicent eſcas.*

IX. *Ne Iudæi quæſtione Chriſtianos inſcribant.*

X. *Ne Iudæi contra Chriſtianos teſtificentur, & quando ex illis progenitis teſtificari ſit licitũ.*

XI. *De pœna qua perimenda eſt tranſgreſſio Iudæorum.*

XII. *Ne Iudæos Chriſtianum mancipium circuncidat.*

XIII. *De mancipiis Chriſtianis quæ à Iudæis aut vendita aut libertati tradita eſſe noſcuntur.*

† *ſecretā* XIIII. *Vt nullis modis Iudæis Chriſtiana adhæreant mancipia, ne in † ſectam eorum modo quocunq; ducantur.*

XV. *De interdicto omnibus Chriſtianis, ne quis Iudæum quacunq; factione aut fauore vendicare aut tueri pertemptet.*

XVI. *Placitum Iudæorum in nomine Principis factum.*

XVII. *De Iudaizantibus Chriſtianis.*


I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quod poſt datas fidelibus leges, oportuit infidelibus conſtitutiones ponere legis.*

HACTENVS per arduas culparum ſemitas iudiciorum cautos direximus greſſus, & per humanæ adinuentionis præcipites & immoderatos exceſſus, ordinatæ grauitatis emiſimus curſus. Egiſſe namque noſtram illis intentionem conſpicuum eſt, vt diſſuaderet quod male ſuaſum erat & prohiberet

ret q, turpe, & auferret quod malè actum & à decore honeſtatis abhorreret. Vt enim legalis ordo malè conſciarum ſibi mentium abdita penetrauit: ita legalis cenſura, & morum praua correxit, & ſcelerum commiſſa truncauit. Verùm hanc pudicitiam animorũ non egimus alibi quàm intra Eccleſiam dei viui: quæ diuerſitatem ſimul nationum & hominum vnius tunicæ immortalitate veſtiuit, vnius etiam ſacræ religionis ſibi vinculis religauit. Ibi enim licet excellentiam noſtri vigoris à virtutũ Deo fuerit terrenæ gloriæ ſublimata culminibus, interdum tamen motu compaſſionis, interdum acie iudicantis, & peccandi licentiã ſolicitè vetare curauit, & peruenta delicta modò temperanter diminuẽdo ſubtraxit, modò vehementer ſtirpando colliſit: non ſolùm ſequens nobiliũ illuſtriumque gentium mores, quæ rationabilibus & modeſtis legibus ordinare curauerunt illicitos populorum exceſſus, ſed ſanctiſſimorum quoque patrum tota terrarum orbe felicium & regulas imitans, exemplaque præſumens, quò poſſet amplitudo noſtræ manſuetudinis in illorũ præceptis, velut in forma operis, imitationem exprimere actionis: Et ex hoc debere cognoſcere proximis ſubiectiſque plebibus honeſtatis competentia indidiſſe decreta, ex quo aut culparum merita ſunt euidenter impreſſa, aut à ſanctorum patrum ſententiis prorſus non inueniuntur externa: duo mihi dona vno diuinitatis præmio prouenire confidens, vt & cum proximis ſalutari temporum perfruar pace, & diuinis iudiciis munere regiminis peracta mercede diſpoſitis, dehinc populorum fidelium legibus, atque in domo ſanctæ fidei verè vt propriis membris confecto medicamine ſalutari & ordinata charitatis decentiſſimæ pace euidenter in virtute Dei aggrediar: hoſtes eius inſequar, æmulos eius perſequar, aduerſus eos contendens viriliter, perſeuerans inſtanter, aut comminuere illos vt puluerem excuſſum, aut delere vt lutum † ſordentium platearum. Certè aut de illis & fidei conquirere lucrum, & gloriæ Dei dare trophæum: vt dum fideles populos in religionis ſacræ pace poſſederim, atq; infideles ad concordiam religioſæ pacis adduxerim, & mihi creſcat in gloria præmium: vt virtutem Dei dilatem, atq; augeam regnum.

† ſordidum.

## II. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De omnium hæreticorum erroribus abdicatis.*

Diuinæ virtutis æternum conſilium, & in vltimorum ſerie ſæculorum pietatis eius reuelatum arcanum, per retroactorum dierum tempora omnem (vt cernimus) à cunctis noſtri regiminis finibus, & perfidiam diſſipauit errantium, & dogmatum abdicauit commenta prauorum. Veruntamen ne dum noſtris conſiſtimus in diebus, tempus illud occurrat, de quo vas electionis olim protulit, dicens: Erit tempus quo ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ſecundum ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur: Conuenit & ea quæ in luce fidei manent, à tenebris contradictionem edicto legali defendere; & ea quæ exoriri obuia forſan error impulerit, geſtis legalib. propulſare. Nullus itaque cuiuslibet gentis aut generis homo proprius & aduena, proſelitus & indigena, externus & incola cõtra ſacram & ſingulariter vnam Catholicæ veritatis fidẽ quaſcunque noxias diſputationes eandem fidem impugnans palam pertinaciter aut conſtanter vel proferat vel proferre ſilenter attemptet. Nullus Euangelii decreta conuellat. Nullus apoſtolica inſtituta decerpat. Nullus antiquorum patrum impugnationibus ſuis ſacras definitiones irrumpat. Nullus modernorum diſcernentium congruentes fidei tractus ſpernat. Nullus contra omne ſanctum dictum & factum vel veræ fidei ſacramentum, aut cogitationes ruminet cordis, aut verba patuli proferat oris. Non in contradictione controuerſiam perfidus excitet peruicacis, non improbitatis contentione litem ſtatuat aduerſantis. Nam quæcunque perſona ex his in cunctis iſtis vetitis extiterit deprehenſa, ſiquidem ex quacunque religionis poteſtate vel ordine fuerit, amiſſo loci & dignitatis † ordine, perpetuo reatu erit obnoxius, rerum etiam cunctarum amiſſione multatus. Si verò ex laicis extiterit, & honore ſolutus & loco, omni rerum erit poſſeſſione nudatus: ita vt omnis tranſgreſſor ſanctionis iſtius, aut æterno exilio mancipatus intereat, aut diuina miſeratione reſpectus, à præuaricatione conuertatur, & viuat.

† honore ſ.

III. FLS. GLS. CHINDS. REX.

*De datis & confirmatis legibus, ſuper Iudæorum nequitiam promulgatis.*

VEtitis & ſecluſis generaliter omnium hæreticorum præſumptionibus execrandis, nunc ſpecialiter nobis eſt de præſentibus ordinandum. quoniam & in præſentibus de his cognoſcimus eſſe præſumptum. Nam cum virtus Dei totum vniuerſaliter acie verbi ſui radicitus hæreſium extirpauerit fomitem vel ſurculum, ſola Iudæorum nequitia ingemiſcimus arua noſtra eſſe polluta regiminis noſtri. Vnde per ſpiritum Dei vindicare conabimur pacem noſtram, quæ gentibus quidem ſtultitia eſt: eiſdem verò Iudæis ſcandalum: nobis autem credentibus, idem Chriſtus, Dei virtus, & Dei ſapientia: cuius miſeratione præuenti concutimur intentione fideli, tam vetuſtis erroribus ponere finem, quàm futurorum exordiorum concidere nouitatem. Quapropter ęterna lege iubemus, & ſacrorum ſcriptorum iuſſu decernimus, tam noſtrarum legum edicta, quam prædeceſſorum noſtrorum Regum legali ſerie promulgatas ſententias, quæ contra eorum perfidiam & perſonas data conſiſtunt, æterna conſecratione inuiolata perſiſtere, & perenni cuſtodia obſeruata manere. Quæ ſi quis eorum temerator detectus extiterit, & ſubter iacentium legum damnis obnoxius erit, & ſpecialibus vltionum ſententiis ſubiacebit.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De cunctis Iudæorum erroribus generaliter extirpandis.*

†vinctione.

NVllus Iudæorũ ſacræ religionis Chriſtianã fidẽ, quã ſancti percepit † vnctione baptiſmatis, aut profanet aliquatenus, aut relinquat. Nullus hãc factis, nullus dictis impugnet. Nullꝰ huic abſcõſe, nullus palã inſultet. Nullus fugere ad hãc euadendã contẽdat: nullus, vt hãc effugiat, quibuſcũq; latibulis ſe occultãdũ iniiciat. Nullus ſpẽ quãdoq; profanationis iterandæ contineat. Nullus confidentiã renouãdi erroris adſumat. Nullus prorſus perfida mente, Chriſtianæ religioni obuiam ſectam corde teneat, verbis promat, factis oſtendat. Nullus ex his quæ in eorum placitis ſunt conſcripta eorumque publica ſubſcriptione notata temerare ſtudeat, vel reuelare præſumat. Nullus omnium horum vetitorum conſcium vel operatorem celare attemptet. Nullus inuentum latentem publicare retardet. Nullus auditam latebrã denuntiare recuſet. Cunctorum namque eorum quiſque tranſgreſſor inuentus conſtitutæ legis, erit ſupplicio afficiendus.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne Iudæi more ſuo celebrent paſcha.*

NVllus Iudæorum XIIII. luna menſis alicuius faciet paſcha, neque dierum ipſorum (vt ſoliti ſunt) ſolempnia celebrabit. Non dies feſtos omnis ſolempnitatis mediocres aut ſummos quiſque eorum venerabitur, aut intendet errorem, vel honore vetuſto non ferias cuſtodiat. Non ſabbata & omnia feſta ritu obſeruantiæ ſuæ deinceps aut colant, aut contingere quandoque præſumant. Nam præuenti mox ſpeciali dampnationis ſuæ multabuntur vltione.

VI. FLS. GLS. *REX.

*Ne Iudæi more ſuo fœdus copulent nuptiale.*

NEmo ex Iudæis propinquitatem ſanguinis ſui coniugio copulet, aut adulterio polluat, aut inceſtu commaculet. Nullus vſque ad ſextum generis gradum coitu quãcunque perſonam contingat. Nullus feſta nuptialia, aliter quàm Chriſtianorum mos eſt vel appetat, vel vſurpet. Nam detectus dampnationis datæ vltionibus punietur.

VII. FLS. GLS. *REX.

*Ne Iudæi carnis faciant circunciſiones.*

NVllus Iudæorum circunciſionem operabitur carnis. Nullus hanc ſibi fieri patietur indempnis. Non ſeruus, non ingenuus aut libertus, incola, vel extraneus eiuſdem deteſtandæ † ſectionis opprobrium quacunque occaſione aut perferat, aut alteri inferre præſumat. Nam quicunque ſponte talia feciſſe vel ſuſtinuiſſe probabitur, datæ legis ſeueritate plectetur.

†ſecta.

VIII. FLS. RCDS. REX.

*Ne Iudæi more ſuo diiudicent eſcas.*

CVm beatus Paulus Apoſtolus dicat: Omnia munda mundis: coinquinatis autem

tem & infidelibus nihil eſt mundū: merito Iudæorum deteſtabilis vita, & diſcretionis horrendæ immunditia, omnium ſordiū horrore immundior, & refelli oportet, & abiici debet. Ne quis ergo ex his primæ ritu traditionis, & vſuati conſuetudine moris mūdas ab immundis diiudicet eſcas: nemo ſumenda inhoneſte reiiciat, quæ valde bona eſſe ſui conditio probat. Nemo ex his aliquid priuet, aliud vſurpet, niſi tantum ille diſcretione ſeruata, quæ ab omnibus Chriſtianis tenetur ſalutaris, & congrua. Alioquin in trāſgreſſione quiſque detectus, conſtitutis erit ſuppliciis addicendus.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne Iudæi quæſtionem Chriſtianis inſcribant.*

SPecialiter hoc decreto cenſetur nulli Iudæo pro qualicunque negotio quandoque licere contra Chriſtianum quamuis humilis ſeruiliſque perſonæ teſtimonium dicere, neque pro qualibet actione ad inſcriptionem Chriſtianum impetere, aut pro Iudæorum cauſis quacūque factione hunc tormenta ſubire præſumat. Profanum etenim ſatis eſt infideles fidelibus anteponere, & membra Chriſti aduerſariorum eius moleſtiis ſubiugare. Sane ſi idem inter ſe cauſarum negotia reperiantur habere, & teſtificandi aduerſum ſe, & in ſeruis ſuis tantumdem coram Chriſtianis iudicibus quæſtionem iniicere, ſit illis liberum ex lege licere.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne Iudæi contra Chriſtianos teſtificentur & quando ex illis progenitis teſtificari ſit licitum.*

SI coram hominibus repertum mendacium, & infamem facit, & dampnis affligit: quanto magis in diuina fallax fide præuentus non erit penitus ad teſtimonium admittendus? Merito ergo teſtificari prohibiti ſunt Iudæi, ſeu baptizati, ſiue non extiterint baptizati. De ſtirpe autem illorum progeniti, ſi morum probitate & fidei plenitudine habeantur idonei, permittitur illis inter Chriſtianos veridica quidem teſtificandi licentia: ſed non aliter, niſi ſacerdote, rege, vel iudice mores illorum & fidem omnimodis probante.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De pœna qua dirimenda eſt tranſgreſſio Iudæorum.*

HÆc de ſinu fortiſſimarum legum ſententia emaneat, ad puniendam perfidiam Iudæorum: vt quicunq; aut ſuperioribus vetita legibus, aut ſuis innexa placitis temerare voluerit, vel fruſtrare præſumpſerit, mox iuxta ſponſionem ipſorum gentis ſuæ manibus, aut lapide puniatur, aut igne cremetur. Quod ſi denotatum crimine reum principalis pietas reſeruauerit victurū, illi cui placuerit ſeruiturus à rege donetur. & omnia bona eius aliis poſſidenda tradantur. Sicque fiat, vt nec rem amiſſam recipiat dominus, nec libertatem reparet ſeruus.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne Iudæi Chriſtianum mancipium circuncidant.*

NVlli Iudæo liceat Chriſtianum mancipium comparare nec donatum accipere. Quod ſi comparauerit vel donatum acceperit & circunciderit, & precium perdat, & quem acceperat liber permaneat. Ille autem qui Chriſtianum mancipium circunciderit, omnem facultatem ſuam amittat, & fiſco aggregetur. Seruus vero vel ancilla qui contradixerint eſſe Iudæi, ad libertatem perducantur.

XIII. FLS. SISEBVTVS REX.

*De mancipiis Chriſtianis quæ a Iudæis aut vendita aut libertati tradita eſſe noſcuntur.*

SAnctiſſimis ac beatiſſimis Agapio, Cecilio, item Agapio epiſcopis ſiue iudicibus ibidem inſtitutis, ſimiliter & reliquis ſacerdotibus & iudicibus in territorio Arbi, Vrgi, Sturgi, Illiturgi, Biaciatui, Agatugiæ, Ebagri & Epagri conſiſtentibus. Dudum latæ conſtitutionis auctoritas à domno, & præceſſore noſtro Recaredo rege ſufficere poterat: vt mancipia Chriſtiana nullatenus in Hebræorum iure manerent obnoxia. Sin poſtmodum contra iuſtitiæ inſtituta eorum prauitas ſubripiendos principum animos aliqua ſibi iniuſta non poſcant beneficia. Proinde quia Deo adiuuante legem fieri decre-

uimus, & fraudibus eorum per diuerſa capitula obſtitimus: ideo pro eo quod retro tempore fuerat viciatum, iuxta edictum ante dicti imperatoris decernimus: vt ſi qua Chriſtiana mancipia eo tempore quo auctoritas data eſt, in eorum iure fuiſſe probantur: ſeu ſint libertati tradita, ſeu forte ad libertatem non fuerint perducta: ad ciuium Romanorum priuilegia, iuxta noſtræ legis huius edictum tranſire debeant. Nam & ſi qua illicito auſu de eiuſdem mancipiis, quæ per conſtitutionem regiam fuerant abſoluta, in iure cuiuslibet per quamcunque ſcripturam tranſegiſſe viſa ſunt: reſciſſa tali colligatione ad ſtatum ingenuitatis recepto iuxta leges pretio a venditoribus reuertantur, & prænotati in polipticis publicis atque ſecundum eorum peculium iuſtiſſima de ratione cenſiti vitam in propriis laboribus in ingenuitatem tranſire valeant. Si qua vero mancipia poſt metas dierum, in qua auctoritas ſæpe dicti principis promulgata eſt, ab illis quoquolibet titulo iuſtiſſime conquiſita ſunt aut vendere, aut libertare, prout maluerint, vſque ad Kalendas Iulias licentiam illis tribuimus. Hi vero Chriſtiani, qui ab Hæbreis quocunque tempore circunciſi ſunt, vel in ritu eorum ſunt, legali ordinatione multentur. Nam & de his qui per legem abſoluti eſſe cernuntur, quia ab ipſis Hebræis ſerui addicti ſunt, vel huc vſque detenti, ſicut de ingenuis legibus eis ſatisfacere non moreutur. Iudæi igitur qui ad fidem ſanctam confugium viſi ſunt feciſſe, portionem ſibi debitam ex ſucceſſione parentum aut mancipiis accipiant: venditionum verò quæ factæ fuerant, quas in vnum tempus venditionis inuenerit parentum vel filiorum, nulla ſit in diſtrahendo diuiſio, ſed in vnum ad comparantis tranſeant dominium. Nam & quiſquis de Iudæis ſub nomine proprietatis frauduléta ſuggeſtione aliquid à prædeceſſoribus noſtris viſus eſt promeruiſſe exacta eius auctoritate fiſco noſtro faciatis ſociari. Mancipia vero Iudæorum, quæ ad baptiſmi gratiam fecerunt confugium, vbicunque reperta fuerint exigantur, & libera dominis ſuis reddantur: ita & qui habet ſuum peculium, in ea libertate illi conferatur; & qui non habuerit, à manumiſſore prout vires habuerit illi concedatur; & deſcripti, ſicut & cæteri eorum liberti, cenſus pro eo peculio illis imponatur.

## XIIII. FL. SISIBVTVS REX.

*Vt nullis modis Iudæis mancipia adhæreant Chriſtiana, & ne in ſectam eorum modo quocunque ducantur.*

VNiuerſis populis ad regni noſtri prouincias pertinentibus. Salutifera remedia nobis gentiq; noſtræ conquirimus, cum fidei noſtræ coniunctos de infidorum manibus clementer eripimus. In hoc enim Ortodoxa gloriatur fidei regula, cum nullam in Chriſtianis habuerit poteſtatem Hebræorum execranda perfidia. Abominanda ergo ſunt in Chriſtianis funeſta Iudæorum imperia, & reducenda eſt ſub amore Catholico plebs Deo ſacrata in gratiam. Ob hoc hac in perpetuum valitura lege ſancimus, atque omni cum palatino officio futuris temporibus inſtituētes decernimus, vt nulli Hebræo ab anno regni noſtri feliciter primo Chriſtianum liberum, vel ſeruum mancipium in patrocinio, vel ſeruitio ſuo habere liceat. Nullum ex his mercenarium nullumque ſub quolibet titulo ſibimet adhærentem hæc diualis ſanctio fore permittit: vendere tamen infra fines regionū noſtrarū in his locis, vbi cōmanere videntur, cū omni peculio Chriſtiano, cui fas fuerit, iuſtiſſimo pretio libera facultas ſubiaceat: nec liceat venditorib. in alias eos regiones transferre, niſi vbi eorumdem mancipiorum ceſſio iudicatur & manſio. Quod ſi ita proueniat, vt hi qui tranſacti fuerant, nihil in ſuo videantur habere peculio: tantum his mancipiis à venditoribus dari præcipimus, quantum illis ſufficere ad excolendum, vel gubernandum ſe inuenerit cōparantis electio: ne ſub nomine emptionis non tam tranſactio, quàm videatur eſſe exilium. Libertare vero ſeruum Chriſtianum Hebræus ſi maluerit, ad ciuium Romanorum dignitatem eundem manumittere debebit, nulli ſcilicet Hebraico vel quolibet obſequio reſeruato: ſed vitam ſuā vbi voluerit manumiſſus procul ab Hebræorum conſortio tranſigendi habeat poteſtatem. Quod ſi calliditatis fraudulentia Hebræus effectus venditionem atque libertatem tali ſub dolo confecerit, vt quædam deceptionis argumentatio, vel venundatio, vel manumiſſio futuris temporibus inuido dolo præueniat, quatenus hunc captioſitas ementis atque vendentis dolo malo decipiat: huius nefandi ſceleris argumentum ingenuus ſi prodiderit, facultatem ſibi profuturam in omnibus Iudæi percipiat. Chriſtianus vero re vera, quem ſimilis præſumptio reum fecerit, nullis ſi fuerit facultatibus dilatatus, in ſeruitium cui princeps voluerit redigatur. Si rerum illi certo ambitio fuerit, medie-

medie-

medietatem fiſco coniunctam perpetua ipſe infamia notetur. Seruus vero huius calliditatis detector liberum ſe gaudeat futurum, & in eius conſiſtat aſſiduus patrocinio in cuius cernitur hactenus fuiſſe ſeruitio. Vt autem eius firmiſſima libertas permaneat, vicarium a fiſco ſeruum dominus pro eodem accipiat: & inſuper libra auri ab ipſis, quorum reuelabit ſcelera, illi exacta proficiat. Quod ſi Hebræus circunciderit Chriſtianum, aut Chriſtianam in ſuam ſectam, ritumve transduxerit, cum augmento denuntiantis capitali ſubiaceat ſupplicio, eiuſque ſine dubio bona incunctanter ſibi vendicet fiſcus. Mancipia verò quæ ex Chriſtianorum & Hebræorum cœnobiis nata vel genita eſſe noſcuntur, id obſeruari cenſuimus, vt Chriſtiana efficiantur. Si certe hi, qui in ritũ Hebræorũ traducti ſunt, in ea perfidia ſtare voluerint, vt minime ad ſanctam fidẽ perueniant: & in cœtu populi verberibus cæſi atque turpiter decaluati, & alicui Chriſtiano (cui a nobis iuſſum fuerit) perpetuo ſeruituri tradantur. Quod ſi tam illicita connubia fuerint præuenta, id elegimus obſeruandum: vt ſi voluntas ſubiacuerit, infidelis ad fidem ſanctam perueniat. Si certe diſtulerit, nouerit ſe coniugali conſortio diuiſum atque diuiſam in exilio perenniter permanere. Inter cætera hoc adiicientes præcipimus, vt dum quiſpiam ab Hebræorum certa deuotione in Catholicam confugium fecerit fidem, & purificationis vnda lauacrum ſanctum ſuſceperit, quidquid eodem tempore in omnibus rebus comprobatur habere, remota cunctorum moleſtia, vt vere fidelis, ſibi perpetim vindicet. Hoc vero edictum intra diem Kalendarum proxime ſuccedentium Iuliarum implere cunctos per noſtras a Deo collatas regiones modis omnibus permonemus. Quibus euolutis Kalendis, apud quemlibet Hebræorum Chriſtianum repertum fuerit mancipium, medietas ſubſtantiæ huius Hebræi fiſco ſubiaceat, & libero reddito, qui per ſuam proditionem fuerit apud eum repertus, nihil ſibi Hebræus de perſona eius, vel peculio vltra defendat. Hanc ergo legem quam pietatis & religionis amore concepimus pro noſtro populique noſtri remedio, in perpetuum ſuffragante auctore domino valituram eſſe cenſemus. Succeſſores quoque noſtros legis huius inſtituta ſeruantes victrix Chriſti victores faciat dextera; & eius ſoliũ in veritate corroboret, cuius in hoc fidem inſpexerit diuina clementia. Et licet huius legis prolatam ſententiam a nemine temerari poſſe credamus: audacia tamen tranſgreſſoris, & non venerabiliter conuerſantis, ſit in hoc ſeculo ignominioſior cunctis hominibus, & vita illius eodem in tempore concidat: quod ſiniſtræ partis aſſenſum in tam nefaria cum voluntate perduxerit deteſtanda temeritas, tantumque obnoxius in æternum peccatorum mole detineatur, in quantum tranſgreſſus fuerit legis huius ſalubre decretum. Futuri etiam examinis terribile cum patuerit tempus, & metuendus aduentus domini fuerit reſeratus, diſcretus a Chriſtiano grege perſpicuo ad læuam cum Hebræis exuratur flammis atrocibus, comitante ſibi diabolo: vt vltrix flamma in tranſgreſſoribus æterna pœna deſæuiat, & locuples remuneratio Chriſtianis fauentibus hinc in æternum copioſa detur.

### XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De interdicto omnibus Chriſtianis ne quiſque Iudæum quacunque factione atque fauore vindicare vel tueri pertemptet.*

IN concluſione omnium præteritarum legum, quæ ad conterendam perfidiam Iudæorum tam noſtra intentione quam prçceſſorum noſtrorum ſtudia decreuerunt, oportuit hanc nouiſſime legem ad robur ſoliditatis adiicere, & competenti munimento promiſſa ex ordine roborare. Poſtquam enim dedimus ſacræ fidei profanis hoſtibus competens repudium, & cunctis † inuentionibus perfidorum poſuimus exoriri terminum, debite compulſi ſumus, & ea quæ concreta ſunt ſolidare, & quæ ſolidata ſunt pulchritudine venuſtare: vt quanto artifex viuacius expreſſit ingenium cogitationis in artem, tanto vigorem ſimul & decus adſumat qualitas formæ. Ne ergo quibuſcunque adinuentionibus calliditas Iudæorum indeſinenti perſequenda conatu ſubrepat, aperiens profano iuri licentiam, hoc euidenter in legis huius decernitur ſanctione: vt nullus de religioſis cuiuſcunque ordinis vel honoris ſeu de palatii mediocribus atque primis, vel ex omnibus cuiuslibet qualitatis aut generis, aut principum vel quarumcunque poteſtatum, aut obtineat, aut ſubprimat animos Iudæos, ſiue non baptizatos, in ſuæ obſeruationis deteſtanda fide & conſuetudine permanere: ſiue eos qui baptizati ſunt ad perfidiam ritumue priſtinum quandoque redire. Nullus ſub patrocinii nomine eos pro ſuæ prauitatis licentia conetur in quippiam defenſare. Nullus quocunque argumento aut factione illis hanc defenſionem conetur impendere, per quam liceat eis obuia ſan-

† *adinuentionibus.*

ctæ fidei & Chriſtiano contraria cultui palam aut occulte aliquatenus attentare, nequiter proferre vel tangere. Quod ſi quiſpiam hæc præſumpſerit temerare: ſi epiſcopus fuerit aut etiam ex cæteris clericis atque religioſis, vel certe ex cunctis laicis quiſque deprehenſus extiterit, à conuentu Catholicorum ſecluſus, & excommunicatione eccleſiaſtica ferietur, & quartæ partis omnium ſuorum bonorum amiſsione mulctabitur, quæ fiſco non dubie quantocius connectetur. Dignum etenim eſt eos aliquandiu à fidelium Chriſti ſocietate diuelli, & rerum dampno mulctari, qui apponunt Chriſti amorem & veritatis ſpeciem conſenſu inimicorum eius deteſtabiliter impugnare: in legum transgreſſoribus illa immobiliter ſententia permanente, quandiu piæ memoriæ Siſebutus Rex viſus eſt in huiuſmodi actione ſuperiorem legem ſanxiſſe.

XVI.

*Placitum Iudæorum in nomine principis factum.*

CLementiſſimo ac sereniſſimo domino noſtro Receſuindo Regi, omnes nos Hebræi Toletanæ ciuitatis atque Hiſpaniæ gloriæ veſtræ qui infra ſubſcripturi vel ſigna facturi ſumus. Bene quidem ac iuſte nos meminimus compulſos fuiſſe, vt placitũ in nomine diuæ memoriæ Chintilani Regis pro conſeruanda fide Catholica conſcribere deberemus, ſicut & fecimus. Sed quia perfidia noſtræ obſtinationis & vetuſtas parentalis erroris nos ita detinuit, vt nec veraciter in Ieſum Chriſtum dominum crederemus, nec Catholicam fidem ſincere teneremus: idcirco nunc libenter ac placitè ſpopondimus gloriæ veſtrę, tam pro nobis quàm pro vxoribus & filiis noſtris, per hoc placitum noſtrum, vt deinceps in nullis obſeruationibus, in nullis inceſtiuis vſibus Iudaicis miſceamus. Iudæis etiam nobis baptizatis nullo penitus execrando conſortio conſociemur. Non more noſtro propinquitate ſanguinis, vſque ad ſextum gradum inceſtiua pollutione in coniunctione vel fornicatione iungamur: nõ coniugia ex genere noſtro, aut nos, aut filii noſtri, vel noſtra poſteritas vllaten⁹ ſortiamur: ſed in vtroq; ſexu deinceps Chriſtianis iugali copula connectamur. Non circunciſionem carnis operemur, non paſcha & ſabbata cæteroſque dies feſtos, iuxta ritum Iudaicæ obſeruationis, celebremus. Non eſcarum diſcretionem vel conſuetudinem teneamus, non ex omnibus quæ Iudæorum vſus & abominanda conſuetudo vel conuerſatio agit, aliquatenus faciamus, ſed ſincera fide, grato animo, plena deuotione in Chriſtum filium Dei viui, ſecundum quod Euangelica & apoſtolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam vſus ſanctæ Chriſtianæ religionis, tam in feſtis diebus vel in coniugiis & eſcis, quam in obſeruationibus vniuerſis veraciter teneamus & ſinceriter amplectamur: nullo reſeruato apud nos aut oppoſitionis obiectu, aut fallaciæ argumento, per quod aut illa quæ facere denegamus iterum faciamus: aut hæc quæ facere promittimus, minime vel non ſinceriter compleamus. De ſuillis vero carnibus id obſeruare permittimus: vt ſi eas pro conſuetudine minime percipere poterimus, ea tamen quæ cum ipſis decocta ſunt abſque faſtidio & horrore ſumamus & comedamus. Quod ſi in his omnibus quæ ſupra taxata ſunt, in quocunque vel minimo transgreſſores inuenti fuerimus, & aut contraria Chriſtianæ fidei agere præſumpſerimus, aut quæ congrua Catholicæ religioni promiſimus, verbis aut factis implere diſtulerimus: iuramus per eundem patrem & filium & ſpiritum ſanctum, qui eſt vnus in Trinitate & verus Deus, quia ſi ex nobis horum omnium vel vnus transgreſſor inuentus fuerit, aut nouis ignibus, aut lapidibus perimatur. Aut ſi hunc ad vitam gloriæ veſtræ reſeruauerit pietas, mox amiſſa libertate, tam eum quàm omnem rei ipſius facultatem cui volueritis perenniter ſeruiendam donetis: vel quidquid ex eo, vel ex rebus eius fieri iuſſeritis, non ſolum ex regni veſtri potentia, ſed etiam ex huius placiti noſtri ſponſione poteſtatem liberam habeatis. Factum placitum ſub die XII. Kalendas Martias anno feliciter ſexto regni gloriæ veſtræ. In Dei nomine Toleto.

† adiuratione.

RCDS. XVII. FLS. GLS. † CIN. REX.

*De Iudaizantibus Chriſtianis.*

SIcut deflendum eſt à Chriſtianis eorum ſcelus, qui in Chriſto præuaricatores exiſtunt: ita modis omnibus decernendum, vt nullus omnino veniam mereatur, qui à meliori propoſito ad deterius declinaſſe cõuincetur. Quia ergo crudelis & ſtupẽda pſumptio crudeliori debet extirpari ſupplicio: ideo legis huius edicto decernimus, vt quicun-

quicunque Chriſtianus & præſertim à Chriſtianis parentibus ortus, ſexus ſcilicet vtriuſque circumciſionem vel quoſcunq; ritus Iudaicos exercuiſſe reppertus eſt, vel (quod Deus auertat) potuerit vlteriùs reperire, conſpiratione & zelo Catholicorum tam nouis & atrocibus pœnis afflictus turpiſſima morte perimatur; quàm horrendũ & execrabile malum eſt, quod ab eo conſtat nequiſſimè perpetratum. Eorum verò bona ſibi proculdubio fiſcus adſumat: ſi heredes vel propinquos talium perſonarum facti huius error conſentiendo commaculet.

## III. TITVLVS.

## DE NOVELLIS LEGIBVS IVDÆORVM, QVÒ & vetera confirmantur, & noua adiecta ſunt.


I. *De commemoratione priſcarum legum, quæ in Iudæorum tranſgreſſionibus promulgatæ ſunt, atque de nouella confirmatione earum.*

II. *De blaſphematoribus ſanctæ Trinitatis.*

III. *Ne Iudæi, aut ſe, aut filios ſuos, vel famulos, de baptiſmi gratia ſubtrahant.*

IV. *Ne Iudæi more ſuo celebrent Paſcha, vel carnis circunciſiones exerceant, ac ne Chriſtianũ quemque à fide Chriſti dimoueant.*

V. *Ne Iudæi ſabbata cæteraſque feſtiuitates ritu ſuo celebrare præſumant.*

VI. *Vt omnis Iudæus diebus Dominicis & prænotatis feſtiuitatibus ab opere ceſſet.*

VII. *Ne Iudæi more ſuo diiudicent eſcas.*

VIII. *Ne Iudæi ex propinquitate ſui ſanguinis connubia ducant, & vt ſine benedictione ſacerdotis nubere non audeant.*

VIIII. *Ne Iudæi religioni noſtræ inſultantes ſectam ſuam defendere audeant, ac ne fidem noſtram fugientes alibi ſe tranſducant, & ne quilibet eos refugientes ſuſcipere audeat.*

X. *Ne Chriſtianus à Iudæo quodcunque munus contra fidem Chriſti accipiat.*

XI. *Ne Iudæi libros illos legere audeant, quos Chriſtiana fides repudiat.*

XII. *Ne Iudæis mancipia ſeruiant vel adhæreant Chriſtiana.*

XIII. *Si ſe Iudæus Chriſtianum eſſe teſtetur, & ob hoc non velit à ſe reiicere mancipium Chriſtianum.*

XIIII. *Profeſſio Iudæorum, quomodo vnuſquiſque eorum ad fidem veniens iudicium profeſſionis ſuæ conſcribere debeat.*

XV. *Conditiones ad quas iurare debeant hi qui ex Iudæis ad fidem venientes profeſſiones ſuas dederint.*

XVI. *De Chriſtianis mancipiis Iudæorum, quæ ſe non prodiderunt Chriſtiana, ſiue de publicationibus eorum.*

XVII. *Ne Iudæi à quolibet poteſtate accepta extra regiam ordinationem Chriſtianum quemque imperare, plectere, vel diſtinguere audeant.*

XVIII. *Vt Iudæorum ſerui necdum adhuc conuerſi ad Chriſti gratiam conuolauerint, libertate donentur.*

XVIIII. *Ne Iudæi adminiſtratorio vſu ſub ordine villicorum atque actorum Chriſtianã familiam regere audeant, & de dampnis eorum qui his talia ordinanda iniunxerint.*

XX. *Vt Iudæus ex aliis prouinciis vel territoriis ad regni noſtri ditionem pertinentibus veniẽs Epiſcopo loci vel ſacerdoti ſe præſentare non differat, vel quidquid huic in toto obſeruare conueniat.*

XXI. *Qualiter concurſus Iudæorum diebus inſtitutis ad Epiſcopum fieri debeat.*

XXII. *Vt quicunque Iudæum ſecum obſequentem habuerit, expetente ſacerdote eum apud ſe retinere non audeat.*

XXIII. *Vt cura omnis diſtringendi Iudæos ſolis ſacerdotibus debeatur.*

XXIV. *De dampnis ſacerdotum vel iudicum qui in Iudæis conſtituta legum adimplere diſtulerint.*

XXV. *Ne iudices quique de perfidorum exceſſibus extra ſacerdotum conibentiam iudicare præſumant.*

XXVI. *Vt Epiſcopi omnes tunc immunes habeantur à dampnis, cum eorum præsbyteri ea quæ ipſi non correxerunt ad eos non remiſerint corrigenda.*

XXVII. *De ſeruata principibus miſerendi poteſtate in his qui conuerſi ad fidem Chriſti veraciter fuerint.*

XXVIII. *Vt epiſcopi omnes Iudæis ad ſe pertinentibus libellum hunc de ſuis editum erroribus tradat, & vt profeſsiones eorum vel conditiones in ſcriniis Eccleſiæ condantur.*

## IN NOMINE DOMINI.

### I. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*De commemoratione priſcarum legum, quæ in Iudæorum tranſgreſsionibus promulgatæ ſunt, atque de nouella confirmatione earum.*

PErfida Iudaici erroris ſæpe calliditas eo vehementius dureſcit in crimine, quo inſtitutis contra ſe legibus nititur frequentius contraire. Et ideo poſituri tot tantiſque eorum erroribus nouitatis ordine leges, libet tamen illas primum à dominis & prçceſſoribus noſtris promulgatas in eorum tranſgreſſionem conſtitutiones intendere, & ordinatim præcedentium edicta retexere: vt ex hoc collata cum veteribus noua & vetera in his quæ recenter ſunt edita confirmentur, vt condecet, & noua ſic ordinentur, ne præterita citra rationem videātur confundere: quo vniformis membri compago, ex vtriuſque legibus ordinata, clara hic iuſtitiæ manifeſtatione eluceat. Si quod in præteritis legibus confirmatione ſit dignum, quidve nouitatis edictu inconuulſibile cenſeatur, eo luce clarius pateat, quò complexa hic ex vtriſque veritas extiterit declarata. Et ideo in eiſdem præcedentium legum ſtatutis reperimus legum, quæ de omnium hæreſum erroribus abdicandis promulgata conſiſtit: in quali lege id abiiciendum emendandumque euidens ratio perſuaſit: vt ſi cuiuslibet hæreſis permotus quiſque inſania contempſerit ipſius legis in aliquo inſtituta, cuiuſcunque ſit generis ordiniſve perſona: ſi publica, peruerſum dogma defenſione vindicare voluerit, ſub arduo erit pœnitentiæ exilio relegandus: eius quoque bona in principis poteſtate conſiſtant: qualiter ſi ipſe peruerſi erroris ſectator corrigi vſquequaque deſtiterit, & ille ab exilii nullo modo reuocetur ærumna, & res eius, cui eas princeps conferre voluerit, inconuulſè deſeruiant. Cæterum ſi quis ignorantiæ præcipitio deditus cuiuslibet erroris ſectam aut corde tenuerit, aut verbis vendicare voluerit, vel factis quibuslibet oſtenderit, ad Epiſcopum loci vel quemlibet ſacerdotem ſe inſtruendum remittat, qualiter ab eo vna cum conſenſu Metropolitani formulam rectæ inſtitutionis accipiat. Iam vero ſi ab his hæreticus quiſquis ille commonitus vel inſtructus ſe diſtulerit corrigere, ſuperioris ſententiæ iacturam ordine ſuperius adnotato ſuſtineat. Idque in illos eſt latum, qui publica defenſione aduerſam noſtræ fidei iudicauerint ſectam. Denique ab hinc ſpeciales relaturę ſunt leges, quæ in Iudæorum ſunt tranſgreſſionibus poſitæ: id de datis & confirmatis legibus ſupra Iudæorū nequitiā promulgatis, ſiue de cūctis Iudæorū errorib. generaliter extirpandis, & ne Iudæi more ſuo celebrēt paſcha, neq; vt more ſuo fœdus nuptiale copulare præſumant, & vt carnis circunciſiones non faciant, neque more ſuo iudicent eſcas, ac ne quæſtionem Chriſtianis inſcribant, neque contra Chriſtianos teſtificentur: & ne Iudæus Chriſtianum mancipium circuncidat. De mancipiis quoque Chriſtianis, quæ à Iudæis vendita aut libertati tradita eſſe noſcuntur, qualiter ſtatū libertatis obtineant, & vt nullo modo Iudæis mancipia deſeruiant Chriſtiana: de interdicto quoque omnibus Chriſtianis, prohibetur ne quiſque Iudæum quacūq; factione atq; fauore vindicare vel tueri pertēptet, atq; de Iudaizantib. Chriſtionis. Harū igitur fortiſſimarum legum ſententia in prędictorum Iudæorū perfidiā promulgata, exceptis duobus ſubter adnexis capitulis, cæteriſq; aliis quæ contraria inueniuntur, & his iuſtitię regulis, & his inſtitutionibꝰ noſtris, omnia, vt dictum eſt iugi temporū æternitate valitura cenſemus, & irreuocabili glorioſo ſerenitatis noſtræ oraculo confirmamus, atq; in tātum eis conſultum valitudinis robore celebriori porrigimus, in quantū nil repugnans habuerūt, cum his quæ nouitatis noſtræ ſententia definimus. Nā in quibuſdam ipſis legibus, ꝙ nobis inconueniens videtur atq; contrarium, & duo interim inter cætera repugnantia rationi vel inſtitutioni noſtræ capitula cōtinet: quæ licet tēpta vſq; hactenus nullo modo, nullius tamen vigoris deinceps valetudinē retinebūt. Illa ſiquidē in his ſententiis prima eſt per ꝙ Iudæis datur execranda licentia manumitti Chriſtiana mancipia. Secundum ſanè capitulum non ſolum reprehenſibile nobis videtur, ſed impium, vbi totius vniuerſitas culpæ ad vnius redigi-

redigitur dampnationem vindictæ. Nam quædam legis ſicut culparum habent diuerſitates, non ita diſcretas in ſe retinent vltiones, ſed permixta ſcelera tranſgreſſorum ad vnius permittuntur legis pœnale iudicium. Nec ſecundum modum culpæ modus eſt adhibitus culpæ, cũ maior minorque tranſgreſſio, vnius non debeat multationis prædampnari ſupplicio: præſertim cum dominus in lege ſua præcipiat. Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Vnde lex ipſa quæ inſcribitur de pœna qua perimenda ſit trãgreſſio Iudæorum: quia Deus mortem non vult, nec lætatur in perditione viuorum pro eo quod in ſe peremptionem continet mortis, in nullo veræ valetudinis retinebit ſtatum. Proinde iam nunc ad operiendum malitiæ caput, ad denegandum infidelitatis cõmentum, ad perimendum profanationis elogium, alacri intentione procuram, niſu validæ oppugnationis obſiſtam, fortia in perfidis præceptionum tela obiiciam.

II.

*De blaſphematoribus ſanctæ Trinitatis.*

SI veritas ſacri Euangelii prædicat, prolatum in fratrem contumeliæ verbum iudicio reum adſignat. Quanto magis peccantem in ſpiritum ſanctum diuinæ animaduerſionis ſententia dãpnat, quod irremiſcibile hic & in futuro ſaluator ipſe denunciat? Et ideo ſi quis Chriſti filii Dei blaſphemauerit nomen, eiuſque ſacrum corpus & ſanguinẽ aut contempſerit ſumendum percipere, aut perceptum viſus fuerit reieciſſe, vel quemlibet iniuriarum blaſphemiam in ſanctam dixerit Trinitatem, id eſt, in patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum: tunc inſtantia ſacerdotis vel iudicis, in cuius ciuitate, caſtro vel territorio hoc malum exortum fuerit, blaſphemator ipſe centenis decaluatus flagellis ſubiaceat, & ardua in vinculis conſtitutus perpetui exilii conteretur ærumna. Res tamen eius in poteſtatem principis redactæ manebunt, qualiter in iure eorum, cui eas poteſtas conferre elegerit, inconuulſe perſiſtant.

III.

*Ne Iudæi, aut ſe aut filios ſuos, aut famulos baptiſmi gratia ſubtrahant.*

CVm veritas ipſa petere, quærere & pulſare nos doceat, præmonens quòd regnum cælorum violenti diripiant: in nullo eſt dubium, quod ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non feſtinet. Proinde ſi quis Iudæorũ, de his ſcilicet qui nondum ſunt baptizati, aut ſe baptizare diſtulerint, aut filios ſuos vel famulos nullo modo ad ſacerdotem baptizandos remiſerit, vel ſe, ſuoſque de baptiſmo ſubtraxerit, & vel vnius anni ſpatium poſt legem hanc editam quiſpiam illorum ſine gratia baptiſmatis tranſierit: horum omnium tranſgreſſor, quiſquis ille repertus fuerit, &c. flagella decaluatus ſuſcipiat, & debitas multetur exilii pœna. Res tamen eius ad principis poteſtatem pertineant: qualiter ſi incorrigibilem durior eum oſtẽderit vita, perpetua in eius, cui eas princeps largiri voluerit, poteſtate permaneant.

IV. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Ne Iudæi more ſuo celebrent paſcha, vel carnis circunciſionem exerceant, ne Chriſtianum quemque à fide Chriſti dimoueant.*

SI obſtinata Iudæorum perfidia non tam figuris quàm veritati obſeruantiam legis impenderet, nunquam gloriæ dominum crucifixiſſent. Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et ſi cordis nobis circumciſione gauderet, adumbratam illam corporis expoliationem nullo modo in carne exprimeret, propheta dicente: Circuncidimini domino, & auferte præputia cordium veſtrorum. Vnde nos, non tam figuris prętereuntibus inhærentes, ſed veritatis promiſſionibus certiores, id omnino obſeruandum præcipimus: vt ſi quis Iudæorum ritu ſuo paſcha celebrauerit, centenis verberatus flagellis, & turpiter decaluatus exilio diutino mancipetur, & eius res fiſco adſociandæ ſunt. Illis verò qui carnis circunciſiones in Iudæis vel Chriſtianis exercere præſumpſerint: quiſquis hæc aut intulerit alteri, aut fieri ab altero permiſerit ſibi, veretri ex toto amputatione plectetur, & res eius fiſci iuribus ſociandæ ſunt. Mulieres tamen quæ aut circunciſiones exercere præſumpſerint, aut circuncidendos quiſque cuilibet circunciſori obtulerint: naribus abſciſis, & rebus omnibus in principis poteſtate redactis lugebunt facinus ſuæ præſumptionis. Simili quoque & illi pœna plectendi ſunt, qui Chriſtianum vel Chriſtianam à fide dimouerint Chriſti, vel ad ritũ Iudaicæ præuaricationis adduxerint.

V. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Ne Iudæi ſabbata cæteraſque feſtiuitates ritu ſuo celebrare præſumant.*

FIguris præeuntibus quempiam operum indeſinenter exhibitiones impendere, quid eſt aliud quam veritatis amatorem non eſſe? Vnde reprobabile id dominus per prophetam inſinuans ait: Neomenias, ſabbata, & ſolempnitates veras odiuit anima mea. Ob hoc nobis, quibus Apoſtolico præceptum eſt ore, vt potius in nouitate ſpiritus, quã in vetuſtate litteræ ambulemus, id infidis fideli intentione præcepimus: vt ſi quis Iudæorum Neomenias, ſeu feſtiuitates tabernaculorum vel ſabbata, ferias quoque vel cæterarum feſtiuitatum ſolempnitates & ritus, ſuo more peregerit, vel celebrare præſumpſerit, & centenis decaluatus flagellis ſubiaceat, & exilii debita multetur ærumna. Bona quoque eius ad principem redeant: qualiter ea aut perfecte conuerſo illi aliquando reſtituat, aut eo in malis perdurante, aliis quibus fas eſt, ſeruitura concedat.

VI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Vt omnis Iudæus diebus Dominicis & prænotatis feſtiuitatibus ab opere ceſſet.*

IN nullo eſt dubium illum manifeſte fidei Catholicæ aduerſari, qui reuerentiam diebus Dominicis non impendit. Vnde negatores vel diſturbatores fidei noſtræ iuſtiſſime inſequentes, id religioſa ſanctione iubemus: vt ſiue ſit Iudæus, ſiue Iudæa, quodlibet opus ruraliter diebus Dominicis exercens, vel lanificia faciens, ſeu quaſcunque operationes in domibus, agris vel cæteris talibus agens, extra quam nobilium honeſta Chriſtianorum conſuetudo permittit: præſumptor huius rei decaluatus verberibus cẽtenis ſubiaceat. Quod ſi forſitan ſerui eorum vel ancillæ in his, & talibus diebus repeiantur ſupradictis laboribus occupati, tunc & ipſi ſimili ſunt ſententia feriendi. Domini tamen eorum, ſi ſeruos ſuos promiſerint talia agere, c. ſolidos auri fiſco compellendi ſunt reddere. Dies tamen ipſi qui ab iiſdem Iudæis ſollicita deuotione ſunt obſeruandi hi ſunt: id eſt Feſtum ſanctæ virginis Mariæ, quo glorioſa conceptio eiuſdem genitricis domini celebratur. Item natalis Chriſti, vel circunciſionis, vel apparationis ſuæ dies. Paſcha quoque ſanctum, vel dies ſacratiſſimi octauarum. Inuentionis quoque ſanctæ crucis dominicæ feſtum, necnon & Aſcenſionis dominicæ diem, vel Pentecoſtem, ſeu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religioſa Chriſti fide venerabiles.

VII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Ne Iudæi more ſuo diiudicent eſcas.*

ILlud ſane quod Iudæorum deteſtabilis conuerſatio Iudaica ſuperſtitione pollutior, mundas ab immundis diiudicans eſcas, aliud adſumit, aliud reiicit, in quacunque huius obſeruantia inuentus fuerit error, id eſt, vt aliter id faciat quam honeſta Chriſtiani moris eſt conſuetudo: tunc iudicis inſtantia, in cuius territorio actum extiterit, turpiter decaluetur, & centenis verberibus feriatur. Huius ſane legis omnimoda præceptionis integritas, ſicut de eſcis, ita & de poculis obſeruanda eſt, ſcilicet vt ſuperioris iacturæ ſupplicium perferat. Simili quoque ordine & illi, qui a Chriſtianis poculis ſe abſtinere præſumpſerint, patiantur. De eſcis tamen, id eſt de porcinis tantum carnibus, id diſcreta, nec remiſſa pietate decernimus: vt quicunque ex illis de ſuillis forſan carnibus veſci penitus abhorreſcunt: ſi forte natura faſtidiente refugiunt, & non more illo peruerſitatis hoc ipſum diiudicantes contemnunt, prȩſertim ſi in cȩteris operibus Chriſtianis ſimiles habeantur, & Chriſtianitatis ab eis non defuerit votum, atque omnimodȩ operationis ſtudium: tunc hi tales, qui fideles in reliquis conuerſationibus approbantur, pro hac ſola reiectione ſuillarum carnium ad iacturam legis ſuperius comprehenſam teneri non poterunt. Quia valde videtur æquitati contrarium, vt quos manifeſta operum Chriſti nobilitat fides, pro ſola reiectione vnius cibi teneantur notabiles.

VIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Ne Iudæi ex propinquitate ſui ſanguinis connubia ducant; & vt ſine benedictione ſacerdotis nubere non audeant.*

NVlli Iudȩorum in vtroque ſexu permittimus ex propinquitate ſui ſanguinis, vel vxoris ſuȩ, atque etiam virorum, iuxta legem quȩ in Chriſtianis eſt lata, vſque ad ſextum generis gradum connubia ducere, vel inceſtum macula operari. Huius igitur

fœdæ permixtionis illecebra tali mulctabitur pœna, vt ſeparati ab inuicẽ, & centena publice decaluati flagella ſuſcipiant, & exilio relegati ſub pœnitentia maneant: eorumque bona ad filios, quos de præcedenti coniugio habuerint, redeant. Si tamen & ipſos aut in nullo Iudaicæ præuaricationis maculauerit noxa, aut nulla inceſti venationis ſordidauerit macula. Quod ſi aut nullos habuerit filios, aut animos, vt dictum eſt, vel Iudaicus inuoluerit error, vel inceſti fœdauerit natio: tunc facultas prædictorum omnimoda in principis poteſtate conſiſtat, qualiter principali diſcretione res ipſa aut in Chriſtianis eorum hæredibus conceſſa permaneat: aut ſi hæredes huiuſmodi dignitatis defuerint, fiſco noſtro ſociata deſeruiat. Illud tamen modis omnibus obſeruandum fore præcipimus: vt ſi quis Iudæus, ſiue Iudæa nouiter nuptiale feſtum celebrare voluerint: non aliter quàm cum præmiſſo dotis titulo, quod in Chriſtianis ſalubri inſtitutione præceptũ eſt, vel ſacerdotali benedictione intra ſinum ſanctæ Eccleſiæ percepta, coniugum cuiquam ex his adire permittimus. Quod ſi vel ſine benedictione ſacerdotis quiſque Hebræorum nouiter coniugium duxerit, vel ſolempnitatem legis pro dotali titulo in quocunque tranſcenderit, aut c. principi ſolidos coactus exſoluat, aut centum publicè verberatus flagella ſuſcipiat. Hæc ſcilicet dampna vel verbera ſigillatim vnuſquiſque percipiat: videlicet tam ille qui nupſit quàm ea quæ nupta eſt, vel etiam parentes eorum vnuſquiſque pro ſe iacturam legis huius ſuſcipiet.

### IX. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Ne Iudæi religioni noſtræ inſultantes ſectam ſuam defendant, ac ne à fide refugientes alibi ſe tranſducant, & ne quislibet refugientes eos recipiat.*

IAm ſanè ſi quis Iudæorum palam vel occulte religioni noſtræ Chriſtianæ inſultare præſumpſerit, ſi quis etiam Chriſtianam fidem verbis ſubuertere, aut ſectæ ſuæ niſus fuerit defendere vanitatem, nec non quiſquis diſciplinam fidei Chriſtianę refugiẽs, aut in terram noſtri regiminis ſe occultandum iniecerit, aut in aliis partibus ſe latitandũ tranſduxerit: ſi quis etiam huiuſmodi tranſgreſſoribus latibulum in quocunque præbuerit, aut eius fugæ conſcius fuerit: cunctorum omnium capitulorum quiſquis ille fuerit tranſgreſſor inuentus, & centenis decaluatus multabitur plagis, & reb. eius in principis poteſtatem redactis, exilii conteretur ærumnis.

### X. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Ne Chriſtianus à Iudæo quodcunque munus contra fidem Chriſti accipiat.*

QVam ſit extraneum à Chriſtianæ fidei regula, qui defenſorem ſe veritatis inſimulat, & veritatem ipſam munerum acceptione commaculat, audiat contra ſe Prophetam dicentem: Pro eo quòd vendidiſtis argento iuſtum, & pauperem pro calceamento: ecce ego ſtridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam, & tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam, & robuſtus corde inter fortes nudus effugiet. Quis enim hic venditus argento iuſtus accipitur, vel pauper pro calceamẽto, niſi vnigenitus filius Dei patris, cuius innoxius ſanguis xx. olim à Iudæis taxatus argenteis, cotidie venundatur ab illuſoribus veritatis? Et ideò ſunt quidam ex fidelium numero, qui quaſi zelo fidei Iudæorum culpas ſe detegere vel plectere valida intentione promittant, quos tamen deprauat ſolitæ cupiditatis illecebra. Nam ſi talibus quodcunque forſan fuerit à perfidis in munerum collatione oblatum, illico reticeſcunt, & errores talium, quos vindicare & detegere ante præmiſſum ſibi beneficium nitebantur, percepto miſerabili quæſtu impunitos tranſire permittunt. Vnde nulli Chriſtiano licebit cuiuſcunque ſit generis, aut dignitatis, ordinis, ſiue perſonæ, ſiue ex religioſis, ſiue etiam ex laicis, quodcunque beneficium contra fidem Chriſti, à quolibet Iudæo vel Iudæa, ſiue etiam per eorum internuntios, quodcunque ſibi illatum accipere, neque ſe ob talium vindicationem contra regulas fidei Chriſtianæ oblatis ſibi præmiis implicare. Si quis autem qualibet beneficiorum exhibitione corruptus, aut agnitos errores Iudæorum celauerit, aut, ne prauitas talium feriatur, quolibet modo obſtiterit, & antiquis patrum regulis erit obnoxius, & tantum in duplo fiſci erit partibus illaturus, quantum à Iudæo quiſque ille accepiſſe fuerit comprobatus.

XI. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Ne Iudæi libros illos audeant legere, quos Chriſtiana fides repudiat.*

ILlis commodare lectionibus ſenſum, quibus fas non eſt præbere aſſenſum, impietatis eſt potius quam pietatis indicium. Et ideò ſi quis Iudæorum libros illos legerit vel doctrinas attenderit, ſiue habitos in domo ſua celauerit, in quibus malè contra fidem Chriſti ſentitur, & publicè decaluabitur, & centenorum flagellorum verberatione plectetur. Qui tamen cautionis vinculo alligabitur, ne vnquam talium libros vel doctrinas apud ſe aut habere præſumat, aut attendere audeat, aut ſtudiis meditandi aſſumat. iam verò ſi poſt emiſſum placitum quodcunque tale repetere temptauerit, & decaluatus centenis flagellis ſubiaceat, & amiſſis rebus ſub perpetui exilii conteretur ærumna: vt quia iam ſecundò viſus eſt erroris ſui iteraſſe veſtigium, perenniter illis res eorum deſeruiant, quibus principali fuerint collatione conceſſa. Hæc & ſimilia illi percipient, qui quemlibet infantium talia præſumpſerint docere, id eſt, vt doctor ipſe iniquitatis in prima tranſgreſſionis fronte deprehenſus, & centenis ſubiiciatur decaluandus verberibus & placiti ſui polliceatur cautione ſe talia vlterius neminem debere docere. Quòd ſi primæuæ huius ſponſionis maculans fidem contingat illi ea quæ abiecerat repedare, omni eius facultate in principis poteſtate redacta ipſe decaluatus, centeniſque verberibus adiudicatus perpetuo erit exilio relegãdus. Infantes tamen ipſi vel pueri tũc erunt à ſupradictis dampnis atque verberibus alieni, ſi hanc perfidię doctrinam intra x. annos ætatis ſuæ poſiti meditaſſe fuerint viſi. Cæterum ſi poſt exemptos decem annos quiſquis illorum talia attendere vel meditari præſumpſerit, ſuperioris conſtitutionis dampna vel verbera ordine ſuperius adnotato ſuſtineat.

XII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Ne Iudæis mancipia ſeruiant vel adhæreant Chriſtiana.*

IMportabile ſatis Chriſtiano, cui videri debet flagitium vt gens Iudaica, contra dominum rebellis ſemper & impia, Chriſtiana mancipia ſuis habeat ſeruitiis religata: & verſa vice religionis noſtræ honorabile Chriſti membrum humilietur ante filios perditorum; & portio dicata Chriſto per lauacrum, perfidorum obſequiis ſubiugetur. Sicque corpus Chriſti videatur obſequi Antichriſti miniſtris: cùm præpoſtero ordine ipſi qui noſtram oppugnant moribus fidem, obſequentes habent ad impietatem famulos fidei noſtræ. Proinde legem illam quæ à glorioſo præceſſore noſtro diuæ memoriæ Siſebuto rege eſt edita, in huiuſmodi cauſis tenendam eſſe ſancimus, & omnem textum legis ipſius, excepto vbi mortis vltio ponitur, glorioſo ſerenitatis noſtræ oraculo confirmamus: qualiter iuxta prædictæ legis edictum, vbi tranſgreſſores legis ipſius, ſucceſſores ſcilicet regni, ſub perpetua maledictionis cenſura obſtrinxit. Nullus ex Iudæis mancipium Chriſtianum habere præſumat, nec quidquam contra eiuſdem legis monita agere præſumat, excepto hoc vno cum eiuſdem Iudæis penitus non licebit ſecundum quod lex ipſa permittit, vt Chriſtianum mancipium Iudæus audet manumittere. Quia valde indignum eſt, vt quos cœnoſa ſeruitus perfidiæ maculat, libertatis titulum Chriſtianis imponant. Non enim eſt conſequens, vt tenebræ lucem obnubilent, aut ſeruitus prærogot libertatem, præſertim cum hoc in primęua tantummodo editione legis ipſius, cum ad fidem primitus vocarentur, illis videatur fuiſſe conceſſum. Nunc verò Chriſtianum quemquam mancipium manumittere omnino non poterunt, quia contra legis ipſius edictum, vt verè vtiq; tranſgreſſores Chriſtiana habere mancipia cõprobantur, quibus ſufficiat ſi pro præteritis tranſgreſſionibus non damnentur. Nam modò illis hæc licentia penitus denegatur: quia contra interdicta legum, & Canonum agere præſumpſerint. Hoc tantum illis more concedimus pietatis, vt à primo anno regni noſtri, id eſt à Kal. Feb. vſque ad ſexageſimum diem habeat quiſque ille Iudæus iuxta tenorem prædictæ legis licentiam Chriſtiana venundare mancipia, non tamen ſine cognitione ſacerdotum vel iudicum, ad quorum territoria pertinere noſcuntur: ne & hi qui venundandi ſunt, dampna mortis perferant vel ſalutis, & his qui venditores exiſtunt, locum agendæ fraudis vel inferendæ repediant vltionis. Iam verò à prædictis Kalendis tranſacto ſexageſimo die nulli Iudæorum licebit mancipium Chriſtianum habere, non ingenuum, non etiam ſeruum. Sed poſt peractum huius temporis ſpatium, id eſt ſexagint adierum apud quemcunque Iudęum mancipia Chriſtiana repperianrur, cum collato

lato ſibi à dominis ſuis peculio per huius noſtræ legis edictũ liberi erũt modis omnib. permanſuri, ſi tamen ſe violenter à dominis ſuis obcelatos eſſe probauerint. Iudæi tamen ipſi qui expleto temporis ſupradicti ſpatio tenere, ſeu habere, vel occultare ſiue celare mancipia Chriſtiana præſumpſerint, aut etiam aliis quibuslibet modis hanc ſanctionem ſerenitatis noſtræ implere diſtulerint: aut medietatem rerum ſuarum fiſco ſociandam amittant, aut ſi viliores perſonæ fuerint, & non habuerint vnde componant, centena decaluati flagella ſuſcipiant.

XIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Si ſe Iudæus Chriſtianum eſſe teſtetur, & ob hoc non velit reiicere à ſe mancipium Chriſtianum.*

SI quorundam Iudæorum fraudulenta ſubtilitas, cauens quæſtum rei ſuæ amittere, Chriſtiano more ſe intimet conuerſari, & ob hoc dicat non ſe amittere debere Chriſtiana mancipia, quia & ipſe Chriſtianam videatur ducere vitam: his ordinibus comprobandum eſt, quo nec aſtuta fraus excuſationem obtendat, nec ſincera cõuerſio, caſum cum cæteris pereuntib. perdat. Ac per hoc id omnimodo ſanctione decernimus, vt omnes Iudæi per vniuerſas regni noſtri prouincias cõſtituti ab anno primo regni noſtri, Kal. ſcilicet Feb. vſque in ſuperuenientibus præſentis anni Kal. April. aut vendendi Chriſtiana mancipia iuxta præmiſſæ legis ordinem licentiam habeant, aut ſi ea apud ſe retinere voluerint, his ordinibus ſe Chriſtianos oſtendant. Concedimus enim eis, id eſt his tantum de quibus euidens periurii ſuſpicio non habeatur, vt habeant lx. dierum vſque in Kal. præſentis anni Aprilibus ſalutare ſpatium, in quo poſſint qui ex illis ſaluandi vel Chriſtianæ fidei aggregandi ſunt, ad Epiſcopos locorum concurrere, & manus ſuæ ſignis, vel ſubſcriptionibus roborata illis ſuæ profeſſionis fœdera publicare: in quas profeſſiones id curabit quiſque ille innectere, quia ritus omnes Iudaicos abneget, & in nullo ſequatur ſectam præuaricationis antiquæ. Et quia ex toto corde priſtinos errores relinquens ad fidem religionis conuerſus fuerit Chriſtianæ, cum ſymboli quoque interpoſitione, & quod vltra ad vomitus ſui nullo modo reuertatur errorem, vel cætera ſecundum conſcriptum profeſſionis ipſius ordinem, quem poſt hanc legem curauimus adnotare. Has ſanè profeſſiones ne nudis tantummodò verborum promiſſionibus proferant, & aliud verbo promant, aliud corde retineant, ſicque in eorum promiſſis ſimulatio potius, quam veritas locum ſuum inueniat: ſollicita Epiſcoporum, iudicumque inſtantia, illi ipſi, qui ſuperioris profeſſionis ſuæ patefecerint votum, allatis cõditionibus iurare debebunt, quia quæ eorum profeſſio continet ſincero & non maculato corde profiteantur ſe donec aduixerint conſeruare. Sicq; fiet vt hi tales, quos & profeſſio cum operis effectu dignos eſſe probauerint, & iuriſiurandi pollicitatio deuotos fore monſtrauerit, poſſint, vt pote Chriſtiani, Chriſtianorum mancipiorum ſeruitiis vti. Nam non aliter poterunt Chriſtiana mancipia illorum dominio ſubiugari, niſi & ipſi euidenter comprobentur veriſſimi Chriſtiani, & frequenter Chriſtianorum ſocietate coniungi. Iam vero qui poſt datam profeſſionem reddito ſacramento iuxta ſuperiorem ordinem, Chriſtianum ſe eſſe deuouerit, & in quolibet ritu Iudaicæ ſectæ cultor ac promiſſionis ſuæ tranſgreſſor eſſe reperiatur, quia & nomen domini Dei ſui auſus eſt profanare, & Iudaici erroris cœno polluere, amiſſis rebus omnibus, & in principis poteſtatem redactis, & c. flagella decaluatus ſuſcipiat, & exilii debita pœna conteratur. Illos tamen qui obdurato corde, obſtinatione malitiæ interclusi, infra dierum numerum ſuperius conſtitutum, aut profeſſiones ſuas publicare deſtiterint, aut extra prædictum tempus Chriſtianum mancipium habere præſumpſerint, ad damnationem præmiſſæ legis, quæ de Chriſtianis mancipiis lata eſt, vt Iudæis non ſeruiant, teneantur obnoxii: id eſt, vt aut medietatem rerum ſuarum fiſco ſociandam amittant, aut, ſi viliores perſonæ fuerint & non habuerint vnde componant, centena decaluati flagella ſuſcipiant. Mancipia tamen Chriſtiana, quæ retinere apud ſe contra legum vetita præſumpſerunt, quia ſe ipſa prędicti temporis ſpatio Chriſtiana fuiſſe non prodiderunt, in eorum ſeruitio quibus à Rege donati fuerint, ſeruituri perpetualiter permanebunt.

XIIII.

*Profeſſio Iudæorum, quomodo vnuſquiſque eorum ad fidem veniens, † indicalum profeſſionis ſuæ conſcribere debeat.* † *indicium*

EGo ille abrenuncio omnibus ritibus & obſeruationibus ſectæ Iudaicæ, abomi-

nans in toto ſolemnitates vel ceremonias ſiue obſeruationes omnes quas in præteritis obſeruaui vel tenui. Ita vt deinceps nihil de ritu vel celebritate earundem obſeruationum exerceam, nihil de vſu præteriti erroris aſſumam, id eſt, vt nec affectu talia quæram, nec opere quodcunque tale perficiam. Proinde abrenunciatis his omnibus quæ Chriſtianitatis doctrina abominatur & prohibet.

**Credo in** vnum Deum, patrem omnipotentem factorem cæli & terræ: viſibilium omnium & inuiſibilium conditorem. Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Natum, non factum, homouſion patri, hoc eſt eiuſdem cum patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælo. Et incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, & Maria virgine. Homo factus. Paſſus ſub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die reſurrexit. Aſcendit in cælos, ſedet ad dextram patris. Iterum venturus in gloria iudicare viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Credo & in ſpiritum ſanctum dominum & viuificantem. Ex patre & filio procedentem. Cum patre & filio adorandum & glorificandum. Qui locutus eſt per prophetas. Vnam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectans reſurrectionem mortuorum. Vitam futuri ſæculi.

Hæc quæ in huius Symboli fidem a me præmiſſa ſunt veraciter credens, fideliter retinens, & cum toto mentis meæ affectu amplectens, promitto vt nullo vnquam tempore ad vomitum ſuperſtitionis Iudaicæ redeam. Nunquam obſeruationes vel ceremonias, quas Iudæi ſoliti ſunt cuſtodire, amodo aut opere impleam, aut cordis affectu retineam, abnegans in toto Iudaicam ſectam, reſpuens in toto Iudæorum perfidiam, abiiciens quidquid Chriſtianam fidem impugnat, & ita me abinceps veraciter in ſancta Trinitate profiteor credere: vt Chriſtiano more deinceps viuere debeam, & Iudæorum amodo conſortia fugiens cum honeſtis Chriſtianis me ſemper adiungam, qualiter ſiue cum illis ſiue abſque illis Chriſtianos ſemper cibos accipiam, & ad Eccleſiam Dei, vt vere fideliſſimus Chriſtianus, deuotiſſime & frequentiſſime concurrere debeam. Sed & in feſtiuitatibus Dominicis, ſiue etiam in Martyrum feſtis, quas Chriſtianæ religionis pietas obſeruandas decreuit, ita promitto eas ipſas feſtiuitates deuotè ſuſcipere, & cum ſummo amore amplecti, & in his ipſis diebus ſemper cum Chriſtianis honeſtiſſimis intereſſe, ſicut honeſta & pia Chriſtianorum conſuetudo id facere vel ſuſcipere conſueuit. Facta eſt fidei vel credulitatis meæ profeſſio ſub die vel anno Regis.

XV.

*Conditiones Iudæorum ad quas iurare debebunt hi qui ex eis ad fidem venientes profeßiones ſuas dederint.*

IVro primum per Deum patrem omnipotentem, qui dixit, per memetipſum iurabitis, & non periurabitis nomen domini Dei veſtri, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & mari poſuit terminos dicens: vſque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos: qui dixit cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Qui primum Archangelum ſuperbientem de cælo proiecit: ante cuius conſpectum adſtat omnis exercitus Angelorum cum tremore: cuius aſpectus areſecit abyſſos & indignatio tabeſcere montes facit. Qui primum hominem Adam in Paradiſo conſtituens, ei præceptum dedit, ne de vetito pomo comederet ligni, quo deguſtato, & de paradiſo eſt proiectus, & catenæ præuaricationis vinculo ſe vna pariter cum genere humano adſtrinxit. Qui Abel ſacrificium libenter accepit, & Cain indignum iuſte reprobauit. Qui Enoch in huius vitæ corpore in paradiſo conſeruans cum Helia, in extremo huius ſęculi fine morituros ad medium reducturus eſt. Qui Noe cum vxore & tribus filiis, cum vxoribus vel animalibus aut volatilibus atque reptilibus in archa tempore diluuii conſeruare dignatus eſt, per quod vnumquodque genus recuperaretur. Qui de Sem filio Noe, Abraham & omnem Iſraeliticum populum propagare dignatus eſt. Qui Patriarchas & Prophetas elegit, & benedixit Patriarchis Abrahę, Iſaac, & Iacob. Per eum qui ſancto Abrahæ promiſit dicens, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, dans ei ſignum circunciſionis in fœdere ſempiterno. Iuro per eum qui Sodomam ſubuertit, & vxorem Loth aſpicientem retrorſum in ſalis conuertit ſtatuam: & per eum qui luctatus eſt cum Iacob, & tangens neruum eius claudicare eum fecit, & dixit, Non vocaberis Iacob, ſed Iſrael. Iuro & per eum qui Ioſeph liberauit de manu fratrum ſuorum, & eum gratioſum in oculis Pharaonis fecit, vt per eum a fame ſaluaretur omnis Iſrael. Iuro & per eum qui Moyſen de aquis liberauit, & ei in rubo igneo apparuit: quiq; per manum

manum ipſius Moyſi decem plagas Ægyptiis intulit,& populum ſuum de ſeruitute Ægyptia liberauit,& per mare rubrum per ſiccum eos tranſire fecit, vbi contra naturam fluentis elementi, tamquam murus aqua ſe ſolidata exhibuit. Iuro per eum qui Pharaonem & exercitum eius in mari rubro demerſit. Iuro per eum qui per diem in columna nubis populum Iſraeliticum,& per noctem in columna ignis præceſſit.Iuro per eum qui Moyſi montem Sinai fumigare fecit,vidente populo Iſrael. Iuro per eum qui Aaron ſibi primum elegit ſacerdotem, & eius filios in tabernaculo igne conſumpſit, quare ignem alienum auſi fuiſſent offerre coram domino. Iuro per eum, qui Dathan & Abiron ſuo iuſto iudicio, vt eos viuentes terra abſorberet, iuſſit. Iuro per eum, qui amaras aquas immixtione ligni in ſaporem dulcedinis commutauit.Iuro per eum,qui ſitienti populo Iſraelitico in Horeb percutiente Moyſe virgam in petra immenſas aquarum inundationes exhibuit. Iuro per eum,qui XI. annis populum Iſraeliticum in eremo pauit,eorumque veſtimenta, ne vſu attererentur,integra vſquequaq; ſeruauit. Iuro per eum qui irreuocabili iuſſu decreuit,nequis de filiis Iſrael in terram repromiſſionis intraret,ob hoc ſcilicet,quare verbis domini non credidiſſent,exceptis Ieſu Naue & Caleph, quos illuc intraturos prædixit. Iuro per eum qui præcepit Moyſi,vt erecta manu ſua contra Amalechitas victor populus Iſraeliticus exiſteret.Iuro per eum, qui patres noſtros per manum Ieſu Naue Iordanis fluuium tranſire iuſſit,& vt XII. lapides de eodem fluuio in teſtimonium tollerentur, inſtituit. Iuro per eum, qui omni Iſraeli vt tranſito Iordane lapideis cultris circumciderentur præcepit,& per eum qui muros ciuitatis Hierico ſubuertit. Iuro per eum,qui Dauid regni gloriam decorauit, & de manu Saul vel filii ſui Abſalonis eum eripuit. Iuro per eum qui ad orationem Salomonis nebula templum repleuit, & ſuam inibi benedictionem infudit. Iuro per eum,qui Heliam Prophetam per turbinem in currum igneum à terra ſubleuauit, & cælorum ſedibus intulit. Et per eum, qui ad orationem Heliſei percuſſo pallio Heliæ aquas Iordanis diuiſit. Iuro per eum, qui omnes ſuos Prophetas ſuo ſancto ſpiritu repleuit, & qui Danielem à rabidis & immaniſſimis leonibus liberauit. Iuro per eum, qui tres pueros in camino ignis ardentis ſub oculis Regis infeſti conſeruare dignatus eſt,qui tenet clauem Dauid, & claudit quod nemo aperit,& aperit quod nemo claudit. Iuro per eum,qui omnia mirabilia & virtutes & ſigna in populo Iſrael vel in aliis gentibus fecit. Iuro & per ſacra X. præcepta legis. Iuro & per Ieſum Chriſtum filium Dei patris:ſanctumque Spiritum, qui eſt in Trinitate vnus & verus Deus:& reſurrectionem domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque ad cælos aſcenſionem, & glorioſum, ac terribilem eius aduentum in quo venturus eſt iudicare viuos & mortuos, mitis apparens iuſtis, terribilis autem impiis. Atque eius venerandum corpus, & pretioſum eius ſanguinẽ, qui cæcorũ oculos aperuit, ſurdos audire fecit, paraliticos ad ſua mẽbra reduxit. Qui linguas mutorum reſoluit,dæmonio vexatos ſanauit, claudos currere fecit,& mortuos ſuſcitauit,qui ſuper aquas pedibus ambulauit,& Lazarum morte reſolutum,cum iam putredine ſe caro ſoluiſſet, vitæ ac ſaluti reſtituit, & in gaudium lamentum mutauit. Qui eſt factor ſæculi,lucis principium, ſalutis auctor. Qui mundum ortu ſuo illuminauit,paſſione ſua redemit,qui ſolus inter mortuos liber fuit, & à morte teneri non potuit. Qui tartarea clauſtra comminuit, & de inferno beatorum animas potentiæ ſuæ maieſtate eripuit. Qui deuicta morte carnem, quam de terris aſſumpſit,in cælum poſt mundi victoriam deportauit,ſedens ad dexteram Dei patris omnipotentis,accipiens ab eo æterni regni poteſtatem. Iuro etiam & per omnes cæleſtes virtutes,& per omnium ſanctorum & Apoſtolorum reliquias, ſiue & per quatuor Euangelia,quæ ſuperpoſitis his conditionibus in ſacroſancto altario illo, quod manibus meis contineo vel contingo: quia omnia quæcumque in profeſſione mea renotanda curaui,vel colligere potui, quam tibi domino meo illi illius ſedis epiſcopo manu mea ſubſcriptam dedi, ſinceriter totam inibi dixi, & ſub nullo argumento vel fraude ea quæ in profeſſione comprehenſa ſunt protuli:ſed omni ſinceritate ſicut eadem profeſſio continet,& omnes ritus vel obſeruationes abinceps Iudæas abnegaui, & omni cordis mei intentione in ſanctam Trinitatem crediturus ſum,& numquam in nullo ad priſtini erroris mei vomitum rediturus ſum,aut conſortio Iudaici erroris ſociandus:ſed in his omnibus & per omnia Chriſtiano deinceps more viuens, & Chriſtianorum participium habiturus ſum, & quidquid in eadem profeſſione, quam de ſanctę fidei obſeruatione conſcripſi,comprehenſum eſſe dignoſcitur,omni fidei puritate cuſtodiam, qualiter iuxta Apoſtolicam traditionem vel ſacri Symboli regulam deinceps viuere debeam. Quod ſi in aliquo aborbitans, aut ſanctam fidem

maculauero , aut ritus Iudaici ſectam in quocumque obſeruare intendero , ſeu ſi vos in quocumque per huius iuramenti mei promiſſionem illuſero , vel ſub ſpecie cuiuſlibet iuramenti ea quæ promiſi , non ea intentione perfecero , ſicut à vobis me profitente, audita vel intellecta ſunt : veniant ſuper me omnes maledictiones legis, quæ in contemptores mandatorum Dei ore domini promulgatæ ſunt. Veniant etiam ſuper me , & ſuper domum meam , & filios meos omnes plagæ Ægypti & percuſſiones eius, & ad terrorem cæterorum ita iudicium Dathan & Abiron ſuperueniat , vt viuentem me terra deglutiat. Sicque poſtquam hac caruero vita æternis ignibus mancipandus ſim , habitatoribus Sodomæ & Iudæ particeps in pœnali ſupplicio comburendus: vt dum ante tribunal metuendi iudicis & glorioſi domini noſtri Ieſu Chriſti peruenero , in ea parte adnumerer , quibus idem terribilis & glorioſus iudex minando dicturus eſt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum , qui præparatus eſt diabolo & angelis eius. Latæ conditiones ſub die.

### XVI. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*De Chriſtianis mancipiis Iudæorum , quæ ſe non prodiderunt Chriſtiana, ſiue de publicatoribus eorum.*

HEbræorum mancipia religionis ſanctæ titulo conſecrata , ſi dominorum ſuorum qualibet perſuaſione illecta , abinceps nullo modo ſe fuiſſe prodiderint Chriſtiana, qualiter ſub eorum dominorum ſuorum iugo perſiſtunt, taliter indultæ libertatis religati catena modis omnibus tenebuntur. Hi tamen per quos hoc fuerit manifeſte decretum , ſi & ipſe Iudæus fuerit , & Iudæi cuiuslibet ſeruus extiterit, conuerſus ad Chriſti fidem in libertate perſiſtat. Sin autem quilibet ex Chriſtianis hoc prodiderit factum, quinque ſolidos per vnumquodque mancipium Chriſtianum accipiet , ab eo ſcilicet , qui eos apud ſe poſt data hæc decreta conuictus fuerit tenuiſſe.

### XVII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Ne Iudæi à quolibet poteſtate accepta extra regiam ordinationem Chriſtianum quemque imperare , plectere vel diſtringere audeant.*

NVLLVS Iudæorum à primo anno regni noſtri , id eſt , à die quinto Iduum Ianuariarum , vllam adminiſtrandi , imperandi , diſtringendi , coercendi vel plectendi curam vel poteſtatem ſuper Chriſtianos exerceat: excepto ſi princeps aliqua vtilitatis publicæ id fieri permiſerit cauſa. Si quis autem Iudæorum accepta à quolibet poteſtate, Chriſtianum quemcumque diſtringere, plectere , coercere vel in eum deſæuire præſumpſerit ; aut quicquam ei contra legum vetita , aut excogitata quæ in lege non ſunt inferre temptauerit: aut medietatem rerum ſuarum fiſco ſociandam amittat, aut ſi nullis fultus fuerit rebus , c. decaluatus flagella ſuſcipiat. Illi tamen qui hanc eis poteſtatem ſuper Chriſtianos exercere permiſerint : ſi nobilis qui hoc fecerit perſona extiterit, decem libras auri fiſco coactus exſoluat: minimæ tamen vilioreſque perſonæ , v. libras auri fiſco perſoluendas amittant. Quod ſi non habuerint vnde componant, centenis decaluati flagellis ſubiaceant.

### XVIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*Vt Iudæorum ſerui necdum adhuc conuerſi ſi ad Chriſti gratiam conuolauerint, libertate donentur.*

CVm vas electionis Paulus Apoſtolus prædicet dicens , ſiue per occaſionem ſiue veritatem, dum modo Chriſtus adnuntietur, ſalubre ſatis eſt votum , ſi ſicut fideles libertatis prouocamus ad gratiam, ita infidelibus præbeamus occaſionem veniendi ad vitam. Et ideo ſi quis Iudæorum ſeruus & ſeruituti eorum implicatus & moribus , ad Chriſti gratiam conuolare deſiderat, nullius eum ſeruitutis catena retineat : nul-

nullus huic tali reſiſtat: nullum à quolibet fidei offendiculum habeant: ſed mox vt ſe & profeſſione & iuſiurandi atteſtatione Chriſtianum oſtenderit, & dominorum ſuorum præuaricationes manifeſte prodiderit, ab omni ſeruitutis catena illico ſolutus, cum omni etiam peculio à domino ſuo dimiſſus, libertatis erit effectibus contradendus. ſicque proueniet, vt in omnibus omnino rebus ordo ille omnis in eum impleatur, qui de Chriſtianis mancipiis eſt conſtitutus.

XVIIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Ne Iudæi adminiſtratorio vſu ſub ordine villicorum atque actorum Chriſtianam familiam regere audeant, & de dampnis eorum qui his talia ordinanda iniunxerint.*

SI quis Iudæorum à quolibet ex laicis commiſſam curam, vel poteſtatem ſupra Chriſtianos acceperit. i. vt Chriſtianis familiis præſit: quidquid adminiſtrationis ſuæ cura viſus fuerit imperare, totum fiſco adplicare debebunt. Ita vt ipſi qui hanc adminiſtrandi ſuſceperint curam, & c. flagella decaluandi ſuſcipiant, & medietatem rei ſuæ fiſco ſociandam amittant. Sane ſi Epiſcopus, vel quislibet ex ſacerdotibus vel miniſtris, clericis quoque vel monachis, adminiſtrationem Eccleſiaſticæ rei illis ſupra Chriſtianos explendam iniunxerit: quamtum id ipſum fuerit quod imperandum eis præceperint, tamtum de bonis proprietatis ſuæ fiſco noſtro adplicandum amittant. Quod ſi rebus expoliatus extiterit, exilio ſubiacebit: quo diutius detritus pœnitentiæ dampnis diſcat, quam ſit impium, infidos fidelibus præponere Chriſtianis.

XX. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Vt Iudæus ex aliis prouinciis ad regnum noſtrum pertinentibus veniens, Epiſcopo loci vel ſacerdoti ſe præſentare non differat, vel quæ huic in toto obſeruare conueniat.*

SI quis Iudæorum de alia ciuitate vel prouincia noſtræ gloriæ oriundus quolibet loco ſucceſſerit, epiſcopo vel ſacerdoti, ſiue iudici loci ipſius ſe illico præſentare debebit: nec à ſacerdote illo tamdiu eſt receſſurus, quamdiu ſabbata, ritusque cæteros atque feſtiuitates, quæ illi è vicino poſſunt occurrere, incontaminatus videatur ſacerdotali teſtimonio tranſegiſſe: ne dum variis huc illucque per loca curſibus promouetur, erroris ſui repperiat in quocumque latibulum. In ipſis tamen diebus, in quibus eos quolibet loco remorari contigerit, conuerſationem cum Chriſtianis probatiſſimis habituri ſunt: qualiter cum illis & cibos ſumere, & participationes communionis Chriſtianæ videantur habere. Concurſum tamen in ipſis diebus, quos ritus ſui more vti ſoliti ſunt, ad Eccleſiam, ad Epiſcopos vel ſacerdotes habebunt, qualiter eorum ſemper ſalutaribus monitis inſtruantur. Quod ſi forte placitorum innodatione ſe eſſe aſſerant inligatos, vel cuiuslibet ineuitabilis neceſſitudinis cauſa conſtrictos, quo illos non liceat diutine immorari: tunc corã ſacerdote loci ipſius ad quẽ acceſſerant relaxati, placiti ſui cautiones promittant, vbi occurrentes per viam feſtiuitates vel ſabbata ritus ſui, ſine teſtimonio ſacerdotali non tranſeant. Ipſe quoque ſacerdos loci epiſtolas manu ſua ſubſcriptas eiſdem ſacerdotibus, per quos ſe Iudæus quisquis ille tranſiturum dixerit, diſtinabit: vt euacuata omni fraudis ſuſpicione, tam ſtantes quam properantes eos diſtrictio religioſa coerceat. Si quem autem eorum aliter egiſſe contigerit, tunc Epiſcopo loci ipſius vel ſacerdoti, vna cum iudice poteſtas tribuatur centenis eos verberare flagellis. Nec aliter eos ad propria redire permittimus, niſi cum epiſtolis Epiſcoporum vel ſacerdotum, in quorum territorium viſi fuerint acceſſiſſe: in quibus tamen epiſtolis ſollicite dierum ſumma notabitur: id eſt, & quo die ad Epiſcopum ipſius ciuitatis acceſſerint, & in quot diebus apud ipſum eos remorari contigerit, vel quo die de eo ad propria reuerſuri exierint.

XXI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Qualiter concurſus Iudæorum diebus inſtitutis ad Epiſcopum fieri debeat.*

OMnis Iudæorum conuentus, in quibuſcumque locis vel territoriis habitare videntur, ad epiſcopum loci vel ſacerdotem, diebus ſabbatorum, vel cæterarum feſtiuitatum quas celebrare ſolent, concurrere & conuenire debebit, ne in his & talibus diebus conceſſæ ſibi licentiæ vacatione vſuri ſint: ſed quamdiu excurſus dierum ipſorum pertranſeat, quorum de celebritate ſuſpiciones verentur, alibi citra ſacerdotis ſui * conibentiam nullo modo mouebuntur. Diebus tamen ſabbatorum concurſus eorum, & lauacro nitidus, & perceptione benedictionis deuotus, ad Epiſcopum vel ſacerdotem ſemper eſt peruenturus. Sane in locis illis vbi ſacerdotalis præſentia defuerit, concurſus eorum omnis vel conuerſatio, aut cum iudicibus, aut cum Chriſtianis honeſtiſſimis erit: qualiter ſic eorum ſocietati inhæreant, vt audenter de eorũ conuerſatione bonum perquiſiti teſtimonium dicant. Mulieres ſane Iudæorum, coniuges ſcilicet atque etiam filiæ, in præmemoratis omnibus feſtiuis diebus, quibus errore proprio abutuntur, nec vllius erroris nec peruerſitatis repperiant locum. Id omni modo obſeruabitur, vt viris earum præſentibus prouida in eis epiſcoporum vel ſacerdotum ordinatio fiat: vt quemadmodum viri earum de præſentia ſe ſacerdotali non differunt, ita & ipſæ per excurſum omnium dierum ipſorum electione ſacerdotum, atque pontificum, cum quibus, vel qualibus honeſtiſſimis feminis commorari debeant ordinentur. Si quis autem huic præceptioni viſus fuerit euenire contrarius, publica decaluatione turpatus, centenorum flagellorum erit ſuppliciis feriendus. Id tamtum præcipue obſeruandum eſt, ne quorumdam ſacerdotum carnalium corda dum vis libidinis execrabili contaminatione exagitat, occaſiones quaſlibet inquirant, per quas libidinis ſuæ votum efficiant. Vnde id arctiori ſanctione decernimus: vt ſic omnis ſacerdos hæc inſtituta legum noſtrarum in iam dictis feminis Hebræorum adimpleat, vt nullius peculiaritatis locum cum eiſdem mulieribus habeat, per quod ſe ordinare intendat. Quod ſi quemlibet ſacerdotum contigerit, vt zelum, quo pro Chriſti nomine vti debet, frequenter ad libidinis ſuæ ſibimet occaſiones vſurpet: tunc ſacerdos ipſe ab hoc honore depoſitus, exilio erit perpetuo mancipandus.

* *cohærentiam*

XXII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Vt quicumque Iudæum ſecum obſequentem habuerit, expetente ſacerdote, eum apud ſe retinere non audeat.*

SI quis laicorum quoſcumque ex Iudæis, virum ſcilicet vel feminam, ſecum obſequentes habuerit, vel in patrocinio retinuerit, & ſublato ex eis pontificum, vel ſacerdotum priuilegio, priuata eos ſibi poteſtate defenderit, neque eos ad epiſcopum vel ſacerdotem diebus debitis inſtruendos vel iudicandos remiſerit: excommunicationis ab eodem epiſcopo, cui id fecerit, ſententia feriatur, & amiſſis illis, quos vindicare nititur, trium librarum auri multatione pro vnoquoque dampnabitur, quæ partibus principis profuturæ manebunt.

XXIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

*Vt cura omnis diſtringendi Iudæos ſolis ſacerdotibus debeatur.*

HOrum omnium præceptorum multiplicem curam, & exercendam in perfidis diſciplinam, illos noſtra gloria vt impleant exhortatur, quibus id agendum diuina auctoritate committitur. Ait enim ſpiritus ille, cuius orbem veritas implet, Stabũt ſacerdotes in iudiciis meis, & iudicabũt leges meas, & præcepta mea. Proinde de omni ſacerdote hæc implenda decernimus, ita vt nullum Iudæorum pro ritu ſuo patiatur ab aliquo defendi, nullum tueri: ſed exemptos ab eorum patrociniis, qui eorum fauoribus

*Barnabouis, &c. filia* 225,53.229,14.245,58.477,59.625,5
*Valentini* 199,58.491,29
*Valentinus Clauerius* 630,45
*Valeoletum* 506,58
*Vallada* 509,47
*Valladenſes* 561,43
*Valleſius Antillonius* 401,40
*Vallis Albaidenſis* 562,36
*Bairena* 516,45
*bona* 512,53
*Buniolana* 444,45
*Gallinerana* 516,57
*Gratenſis* 339,29
*Olearia* 508,4
*Oleti* 120,52
*puellarum* 281,31
*Salinarum* 293,32
*Vxonis* 477,51
*Valor Ligius* 243,43
*Valterra* 33,48.44,51.637,3
*Valtoreſii* 38,1
*Vaſcones populi* 6,11
*Vaſconia* 122,34
*Vaſtationes agri Valentini frequẽtes* 484,17
*Vaſtitas agrorum in Aragonia* 241,9
*Vaticanum* 157,58
*Vbeda* 65,46.121,14
*Vdo Licenſis Epiſcopus* 51,32
*Vectigal nouum Mirauetinum vocatum* 656,10
*Velaſquita* 618,16
*Velleſpiria* 525,57
*Venceſlaus Imperator & Bohemiæ rex* 262,1.268,23
*Venditiones rerum Eccleſiaſticarũ* 918,2
*Venefica* 936,40
*Venetiani bello vexantur* 314,21
*Vera* 745,10
*Verba pontificis ad Palæologum* 107,1
*Verdegium* 179,48
*Veſpertilio* 653,50.484,42
*Vexillum expeditionis regiæ ſignũ in arce Bercinonenſi expoſitum* 207,28
*Vgo Comes Rhodenſis* 516,13
*Follalcherius* 445,10.478,5
*Mataplanus* 553,45.563,46
*Metaplanius* 435,32
*Sentapauius* 548,30
*Via Traiana* 244,32
*Tuſculana* 328,24
*Vicarius Chriſti conſtituendus* 263,48
*Vicecomitatus Caſtelloni* 261.18
*Vicecomes Cardonenſis* 229,23
*Vicentellus Iſtria* 270,28
*Martinus Lupius Nuza* 270,31
*Victoria in maturatione ſita* 433,30
*pauciſſimis etiã facilis, ſi Chriſtus eis adſit* 471,41
*Vicus S. Felicis* 263,30
*Vidal* 707,25
*Vidauria* 547,30
*Vidaurii* 37,56
*Vido comes Bleſenſis* 103,54
*Epiſcopus Viennenſis* 38,33
*Nemurcius Flandrenſis* 154,2
*Vienna Gallicæ prouinciæ oppidũ* 156,46.549,36
*Viliena* 85,42.486,13.518,57 533,17
*Vilienenſes* 100,45.528,22
*Villa caſtri* 330,33.339,29
*Villa felix* 182,32
*Villafranca* 132,25.149,44.228 40.554,22
*Martiana* 513,55
*regalis, oppidum* 230,32.560,35
*Villanoui* 253,4
*Villaluenga* 612,44
*Villaroga* 456,34
*Villarroia* 457,1
*Vina Balearica* 438,17
*Vincentius Cæſarauguſtanus* 86,6
*Yecara* 675,48
*Vincurius comes Bellegradæ* 341 28
*Violans* 652,48
*regina* 679,30
*Violantes thorum paternũ & fraternum* 902,6
*Violatores ſepulchrorum* 991,28
*Violentia qualiter poſt mortem defuncti inquiratur* 928,20
*Vires Siculæ ab hoſte externo premi nequeunt* 197,58
*Valentinorum exploratæ* 455,21
*vnionis deletæ* 199,10
*Viri ætatis minoris feminis maioribus non deſponſandi* 888,50
*Virouesca* 57,19
*Vis magiſtratus iuſtitiæ Aragonũ* 747,20
*Viſcaia* 63,22.112,30
*Viſus lupæ num noxius ſit homini* 259,48
*Vita Iacobi cæteris proceribus eius diſplicet* 465,4
*potius morte quam fuga redimenda viſa* 475,1
*Vitalis Blanius* 263,40
*Canellanus* 490,46
*Canel Epiſc. Oſcenſis* 723,4
*Villanoua* 161,6
*Vitia Alfonſi Aragonum regis quatuor* 544,41
*Vitta, belli quidam dux* 247,38
*Viuarium* 458,10
*Vizcaia* 520,16
*Vizcani* 450,42
*Vldecona* 475,14
*Vlina* 422,43
*Vlrichus Herbeſpel* 253,34
*Vmbertus Dezgatellus* 216,33
*Vndecaſtellum* 407,34
*Vnio generalis Aragoniæ* 116,1
*Aragonenſium vltima* 193,29
*Vociferatio procerum regis, a ſententia eius diſcedentiũ* 517,48
*Volcarus Tectoſagus* 3,10
*Volturnus fl.* 360,57.365,10
*Voluntates defunctorum conſcribendæ* 881,51
*hominum vltimæ qualiter conficiantur vel firmentur* 884 40.885,17
*Voluntas defuncti ante menſes ſex coram ſacerdote teſtibusve publicanda eſt* 885,29
*Vrbanus P. M.* 32,43.92,5.231,7.234,15.237,11.330,44.537,54
*Vrbes Aragoniæ ferè omnes luſtratæ* 408,17
*Vrieſii* 38,3
*Vrienſes* 210,26
*Vroſii* 38,2
*Vrraca regina* 33,55.609,17
*Ferdinandi* 619,49
*Vrrieſii* 745,10
*Vrriolum caſtellum* 259,45
*Vuicio Vercellitanus Epiſc.* 51,33

*Vxo, arx* 83,20
*Vſuræ* 926,12 &c. 927,2
*Vtilitas honeſtate antiquior* 226,55
*Vulnus* 939,10
*Vxor Benaruet* 334,49
*Roberti Guiſcardi* 295,10

W

*WAldemarus Bandhamburgenſis Marchio* 158,28
*Waldenſes* 397,6
*Walus* 233,26
*Wamba* 1,57.2,2
*Wandali* 851,21
*Warinus* 363,19.364,59
*Welſi* 153,1
*Welphus Donoratici comes* 166,3
*Wibertus* 613,2.617,32
*Wifredus* 9,23.10,14.53,4
*Wigebertus Caroli copiarũ præfectus* 5,47
*Wigus Gerundenſis Epiſcopus* 13,14
*Wileſendus* 9,23
*Wilhelmus Apuliæ dux* 345,23
*Witardus Ermerueſæf.* 15,26
*WitiZa rex* 2,19

X

*XAca* 149,4
*Xareana porta* 480,8
*Xerxes* 471,56
*Ximena* 200,51
*Ximenius Cornelius* 407,23
*Xixena* 649,45
*Xuarpius* 450,30
*Xurius Simeon Imperatoris Valachiæ filius* 249,38

Y

*YPoeiſmata* 991,1
*Yra Almundafar* 635,34
*Yxar, oppidum* 653,9
*Yxares* 653,5

Z

*ZAbræ* 480,55
*Zacharias Contarenus* 207,15
*Zaënes rex* 78,58.82,31.83,9.84,35.85,31.428 57.455 1.458,5. 472,7
*Zaëtus Maurorum regulus* 5,23
*Zahara* 200,50
*Zalmetina* 638 8
*Zapatæ* 38,2.745,10
*Zarocca* 250,3
*Zaualachenus* 783,35
*Zaualmedini* 783,17
*Zaura Imperator* 150,26
*Zaydia* 653,6
*Zeitius Abuzeitius* 73,20.75,11. 78,57. 81,40. 413,58. 428,43
*Zema* 2,19.3,9
*ZiZania infidelitatis radicitùs euulſa* 517,34
*Zotica, caſtrum* 317,22
*Zuerenſes* 545,30
*Zuera, oppidum* 253,23.660 32.675,46
*Zufaria* 128,31
*Zulema.* 636,3

FINIS.





UNED

# HISPANIÆ ILLVSTRATAE

SEV

# VRBIVM RERVMQVE HISPANICARVM, ACADEMIARVM, BIBLIOTHECARVM, CLARORVM DENIQVE IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE Scriptorum Auctores varii Chronologi, Hiſtorici,

*PARTIM EDITI NVNC PRIMVM, PARTIM AVCTIORES, melioreſque facti ſtudio, & opera*

ANDREÆ SCHOTTI ANTVERP.
Societatis IESV.

Tomus IIII.

FRANCOFVRTI

Apud Claudium Marnium & heredes Ioan. Aubrii.

*ANNO M. DC. VIII.*

UNED

UNED

REVERENDISSIMO

# D. JOANNI MIRÆO ANTVERPIENSIVM EPISCOPO, FRANC. SCHOTTVS Iuriſconſ.

## S. D.

*QVI VITAM MORTALIVM* Peregrinationem *appellarunt, Præſul optime, næ illi multum vidiſſe cenſendi ſunt: vt qui* militiam *cum Jobo, aut* vigiliam *cum Plinio nominarunt: Sancta nimirum ſacris è litteris ſententia vtilitatis, conſolationiſque plena: quam heroicis illis temporibus Patriarchæ peregrinos ſe, dum in terris degerent, exiſtimantes, liberis ſuis, veluti teſtamenti iure, tranſcripſerunt.*

*Vates enim idemq; Rex, Pſalmo 38.* Aduena, *inquit,* ego ſum, apud te Deus, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. *Qui autem peregrinus in viam ſe dedit, is prudenter maturat, amicitias per viam non contrahit: alieno in Solo ac cœlo, quæ ſpectat, miratur quidem, ſed, quod hinc conſequens eſt, adamare cauet, atq; affectare, veritus, ne quò ſtudet in portum patriamq; minime perueniat. Igitur reliqua, quæ oneri ſint, aut moram iniiciant, vt delicias, vt otium, vitat; ne, vt fit,* ἀποδημίαν *vertat in* ἐπιδημίαν. *Tale huius vitæ curriculum eſt, ac veluti ſtadium, vt non niſi doctor domũ meliorq; viator redeat, vel de via laſſus in portu tandẽ aliquando cõquieſcat. Quod prælarè, vt omnia, Philoſophi illi veteres naturæ dumtaxat lumine illuſtrati obſeruarunt. Pythagoras enim ſimilem ſibi vitam hominum aiebat, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent; alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur; eſſet autem quoddam genus eorum, idq; vel maxime ingenuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur: ita nos, quaſi in panegyrim quandam ex vrbe aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ; raros eſſe quoſdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſe intuerentur, & ad ingenium excolendum ſe compararent, vel ad alios docendum ſe conuerterent. Hos ille* Philoſophos, *hoc eſt, ſapientiæ ſtudioſos nominauit. Idemq; diſcendi docendiq; ſtudio inflammatus, & Ægyptum luſtrauit, & Perſarum Magos adiit, tantas regiones Barbarorum pedibus obiit, & maria tranſmiſit. Eius quoq; Apollonius Tyaneus auditor quantum terra mariq; iactatus fuerit, Philoſtrati libri teſtantur. Diuinus adhæc Plato, nonne Ægyptum peragrauit, vt à ſacerdotibus Barbaris numeros & cœleſtia accipe-*

*ret? poſt Tarentum ad Archytam, mox ad reliquos Pythagoreos, in his Tymæum ſe contulit, quorum doctrinam Socratis diſciplinæ coniungeret? Hic & libro Legum duodecimo, in ea, quam formabat, bene conſtitutæ Reip. idea, de peregrinis ſic tulit, partim iis, qui hoſpites peregrinarentur, partim in vrbē reciperentur; illos natu grandiores atq; cordatos poſtulat: cumq; domum longo interuallo redirent, Senatui exponere iubet aliarum gentium inſtituta, leges ac ritus; ſi quid forſitan aut ab aliis didicerint, aut per ſe ipſi inuenerint. Si meliores doctioreſq; redierint, magnis honoribus ac laudibus viuos iuxta ac mortuos affici vult; ſin deteriores corruptiſque ſint moribus, eorum interdicendum familiaritate pronunciat, & ſi Magiſtratui morem geſſerint, priuatos degere; ſin ſecus, & leges, inſtitutaque maiorum labefactare tētarint, capite pœnas dare iubet. De peregrinis vero in vrbem recipiendis quatuor hominum genera ſtatuit. Primum Mercatorum, qui importandis exportandiſque mercibus inuigilant, atque auium more lucri ſtudio terra marique ad Indos vſque ac Garamantas penetrant. Eos Plato in vrbis pomoeriis habendos, ibidemque ius iis dicendum cenſuit, ne, vt fit, cum mercibus, peregrinis etiam moribus, ciues corrumpant delitiiſque eneruent. Hinc & Gallorum fortiſsimos Belgas, & in his Neruios C. Cæſar experimento didicit, quod nihil eorum, quæ ad effeminandos animos pertinerent, importari tum ſoleret. Alteros, qui ſtudiorum gratia tantum peregrinantur, in vrbem recipiendos putat, ac propter templa diuerſoria eis attribuit; quorum ſacerdotes ac myſtæ curam gerant. Tertii ſunt Legati atque Oratores, quorum ſollicitudinem belli Præfectis mandat. Quartum genus idque rarius, quos* θεωροὺς *hoc eſt*, Spectatores *nominat, & in vrbem admittendos negat, niſi ſe natu maiores ſint, & eo plane animo acceſſerint, vt aliorum bene conſtitutam Rempub. inſpiciant. Leges, mores ac cærimonias & cognoſcant ipſi & cum aliis communicent. Hæc ferè Plato ab eodemque laudatus Iſocrates Athenienſium Orator ſic parænesi Demonicum hortatur (ſeu quis alius auctor, in controuerſiam vocantibus Criticis):* Turpe videri Mercatores tot maria lucelli gratia traiicere; iuuenes verò, ne terreſtre quidem iter, quo mentem ornatiorem reddant, ingredi velle.

*Itaque ne pigeat, monet, vel immenſum iter ad eos, qui ſe, quid vtile dicturos, profitentur ſuſcepiſſe. Quid? Philoſophos pæne omnes, nonne propter diſcendi cupiditatem vltimas terras peragraſſe videmus? vt voluntarium ſibi exilium, quo ſcientiam augerent, indixiſſe videantur; nec domum prius remeaſſe, quam diſciplinarum opibus patriam, cui ſe natos arbitrarentur, exornare poſſent. Socrates Academiæ auctor idcirco* mundi *ſe* incolam *prædicabat, vt Teucer ille Ennianus* patriam eſſe *ait* vbi bene ſit cuique, *quemadmodū aera ac maria auibus, piſcibuſq; communia exſiſtunt. Eius auditor Plato in Timæo Græcos grauiter increpat, vt & pueros vocare non dubitet, quod antiquitatis omnis ignari ſocordia quadam domi deſiderent. Hic Plato, Philoſophorum Homerus dictus: qui Poetarum facile Coryphæus Vlyſſem terra marique viginti annorum* ἀποδημίᾳ *iactatum,* πολύτροπον *vt politicum hominem Odyſſea exhibet:*

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν, ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

*Ceteri*

*Ceteri Philoſophi diſcendi gratia ſunt peregrinati, teſte Tullio ac Laertio, Xenocrates, Crãtor, Arceſilas, Lacydes, Zeno, Cleanthes, Chryſippus, Poſidonius, Antipater, Carneades, Pãætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, innumerabiles alii, qui ſemel egreßi domum, numquam redierunt. Theophraſtus vero à diuina nomen Eloquentia ſortitus, Ariſtotelis in ſchola* διάδοχος *mire laudat, vt idem auctor eſt Cicero, hoſpitalitatem: ratus decorum videri patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: Reipub. præterea ornamẽto eſſe exteros hoc liberalitatis genere non egere. Id quoque Cimonis Athenienſium Ducis in ſuos curiales Laciadas liberalitate comprobauit.*

*Verumenimuero Chriſtiani Euangelii luce eruditi longè quam gentes ac Philoſophi illi vtilius hodie peregrinantur, vt Te omnium, Præſul doctißime, minimè fugit: partim qui ſacra loca religioſe frequentant, vt Palæſtinam B. Hieronymus iuxta Domum præſepe impreſſaque à Chriſto veſtigia: partim qui Academias obeunt, ac Bibliothecas inſpiciunt, tanquam in ſcientiarum mercatum profecti, in patriam tandem doctiores melioreſque reuertũt, ſic & frater meus* ANDREAS, *rei gerundæ gratia olim à parente Franc. Schotto CL. V. in Hiſpaniam miſſus, turbante bello ciuili Belgio, viginti ipſos annos, quot Vlyſſes, peregrinatus eſt, patria ſponte carens, Hiſpaniæ atque Italiæ gymnaſia ſic obiuit, vt & doctoris perſonam de ſuperiore identidem ſuſtineret. Bibliothecas etiam ſcrutando, quæ adhuc inedita laterent, inueſtigauit. Doctißimis adhæc hominibus familiariter vſus, vt non, niſi doctior, ab eorum latere diſcederet: in his Ant. Auguſtino, Ant. Couarruuia, Garſia Loayſa, Aluaro Gometio, ac Pet. Ioan. Nunneſio. De ſocietate vero Ioan. Marianæ ac Petro Ribadeneyræ perfamiliaris, hominum doctißimorum pietate inuitatus, votique reus, poſt aggregari ſociis voluit, degitque benemerendi ſtudio, iuuandique cupiditate flagrans. Teſtes ſunt in lucem hactenus edita monumenta:* Senecæ Rhetoris Suaſoriæ & Controuerſiæ, *prodigioſe vſq; eo deprauatæ, vt ab iis legendis plerią; hactenus refugerint. Teſtes* Vitæ comparatæ Ariſtotelis ac Demoſthenis *æqualium, per olympiadas atque archontas: nuper etiam Photii Bibliotheca græcè Auguſtæ Vindelicorũ excuſa, quam etiam Latine redditam tranſcripſit. Adhæc ne immemor & ingratus erga Iberos, quib. multũ & vellet & deberet, videretur, quemadmodum Cicero T. Attico promiſerat, editurum ſe aliquando peregrinationis ſuæ fructum, ſic hoc egit frater, vt* Hiſpanicarũ rerũ Scriptores Latinos *colligeret, atq; vno veluti faſce colligaret: quorũ Tomus hic quartus eſt, quem Tibi libens volenſq; Epiſcopo meritißimo, veluti coetum Epiſcoporũ plurimorum ad hãc diem trans Pyrenæos nondum viſorum, offerri per me voluit.*

*Agmen ducet* Lucæ Tudenſis Epiſcopi Chronicon, *typis antea numquam euulgatum. Hunc ſequitur* Victor Tununenſis *in Africa Præſul &* Ioan. Scalabitanus, Gerundenſis *Eccleſiæ è Biclarienſi Abbate Epiſcopus: mox &* Idacius *ſeu potius* Ithacius: *qui fere omnes Chronologiam Euſebii ad ſua vſque tempora perduxerũt, hactenus vel inediti, vel certe ſic deprauati, nihil vt ſanũ appareret. His* B. Eulogius Cordubenſis Epiſc. *De certaminibus Martyrũ in Hiſpania acceßit ab Ambroſio Morali Cordubenſi Notis egregie illuſtratus. Inſi-*

gnem vero Epiſcoporum hûc gregem excipiet Hiſpaniæ Chorographia Ludouici Nonii Medici Antuerpiani: Bibliotheca quoque triplex Clarorum Hiſpaniæ Scriptorum, præſertim Theologorum. Quem quidem fratris mei colligendi induſtriam, atque edolando laborem Eccleſiæ Dei, vt opto & ſpero, profuturum, æqui boni vt facias, Præſul optime, benigneque ſuſcipias, etiam atq; etiam oramus obteſtamurque. Sic Te DEVS OPT. MAX. Eccleſiæ ſponſæ in Belgio noſtro fatali bello afflictæ diutiſſime ſeruet incolumem. Antuerpiæ Kal. Martiis CIↃ. IↃCVII.

# CATALOGVS AVCTORVM,

## QVORVM OPERA IN HOC IV. TOMO RErum Hiſpanicarum continentur.


I LVCAE Diaconi TVDENSIS Chronicon mundi ab origine mundi vſque ad Eram MCCLXXIV. pag. 1.

II VICTORIS Epiſcopi TVNNVNENSIS Chronicon à XIIX conſulatu Theodoſii Iunioris vſque ad annum à nato Chriſto DLXIII. pag. 117.

III IOANNIS Abbatis BICLARENSIS Chronicon ab initio regni Iuſtini Iunioris vſque ad annum VIII Mauritii Imp. pag. 152.

IV IDACII Chronographia à primo rege Aſſyriorum Nino vſque ad annum II Anthemii. pag. 160.

V EVLOGII martyris opera, eiuſdemque vita &c. omnia cum ſcholiis Ambroſii Moralis pag. 213.

VI LVDOVICI NONII Hiſpania, ſiue Populorum, Vrbium, Inſularum, ac Fluminum in ea accuratior Deſcriptio pag. 373.




UNED

UNED

# LVCÆ DIACONI PRÆFATIO IN HISTORIAM SEV CHRONICAM BEATI ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.

BEATITVDO potentię temporalis tunc in vero eſſe diſponitur, quando per bona temporalia ad æternam beatitudinem homo perducitur. Nam ſicut Rex regum dominus Ieſus Chriſtus teſtatur, nihil prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę verò ſuę detrimentum patiatur? Omnis quidem poteſtas bona, quia vt ait Apoſtolus ex Deo eſt: & fidelibus præcipit, poteſtatibus ſublimioribus ſubiici, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis. Rex dicitur à regendo, quod ſe & alios bene regat. cui ſpecialius quinque ſunt neceſſaria. Primò videlicet creatorem & Regem ſuum, patrem & filium & ſpiritum ſanctum vnum verum Deum in vnitate ſubſtantiæ & in trinitate perſonarum agnoſcere. Secundò fidem catholicam moribus & verbis confiteri. Tertiò regnum in pace omnimode conſeruare. Quartò ſine acceptione perſonarum vnicuique iuſtitiam exhibere. Quintò verò hoſtes viriliter contemptis cunctis laboribus expugnare. Princeps enim delicatus potius flectitur ad carnis ludibria peragenda, quam ad hoſtium obſtinatam fortitudinem feriendam. Princeps delicatus vino madet, lenitur blanditiis meretricum, diſſoluitur luxuria, & ſuſurronibus libenter apponit aurem. De primis duobus ſacra ſcriptura dicit, quod vinum & mulieres apoſtatare faciũt ſapientem. De tertio dicit beatus Iſidorus, quod luxuria corpus debilitat, debilitatum autem citius ducit ad ſenectutem, de ſenectute ad mortem, de morte ad æternam damnationem. De quarto verò diuina ſapientia dicit: quod princeps qui libenter audit verba ſuſurri, omnes miniſtros habet impios. Sed auferatur ſuſurro & ceſſabit perturbatio. De principe autem quem præcedit ſapientia, roborat fortitudo, conſilium firmat, & illum non rapit leuitas vel audacia, nec ira furere facit, loquitur ſacra ſcriptura dicens: Rex qui ſedet in ſolio iudicii intuitu ſuo diſſipat omne malum. Semper ſolicitatur Princeps ſapiens, ne ſuis exceſſibus in temporalibus aut ſpiritualibus patiatur populus ſibi ſubditus detrimentum. Nam plerumq; pro peccatis Principum ira Dei in populos incandeſcit: & quotquot eius culpa dilapſi ſunt in peccatum, de illis Deo redditurus eſt rationem. Hoc etiam conſiderat Rex honeſtus, vt quidquid egerit ſiue bonum ſiue malum, eo quod ſcripturæ perpetuo commendetur, ab hominum memoria non recedat. Probitas nomen in ſe nõ patitur offuſcari, ne à nobilibus patrum actibus merito degener habeatur. Moribus probitatum ſe probat eſſe degenere illorum Principum, per quos fortis & clemens victoria facta eſt in populis orbis terræ. Plerumq; caloris & frigoris intemperiem, ſitim patitur & eſuriem, vt populos ſibi ſubditos glorioſius valeat gubernare. Cauet ne ad ipſum ſentẽtia flectatur, qua dicitur; Væ terræ cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt. Illam autem in ſe deſiderat experiri: Beata terra, cuius Rex ſapiens eſt, & cuius Principes veſcuntur tempore ſuo. Aſtrictis præceptis glorioſiſſimæ ac prudentiſſimæ Hiſpaniarum Reginæ dominæ Berengariæ, quæ vt chronicorum libros à beato Iſidoro & à quibuſdam aliis peritis de hiſtoria Regum Hiſpanorum & quorundam aliorum editos ſibi ſcriberem imperauit, hanc præmiſi præfationem, vt prima fronte voluminis diſcant Principes præclaro negotio ſanguine generoſi non minus ſapienter & clementer, quam in manu valida regna ſibi ſubdita gubernare. Tunc enim iuris ordo ſeruatur, cum magis ex æquitate quam ex poteſtate in regimine proceditur ſubditorum.

## EIVSDEM LVCAE DE EXCELLENTIA *Hiſpaniæ.*

Regibus.

DONIS affluens propriis patria Hiſpanorum,etiam multorum priuilegiorum prærogatiuas inter primas mundi prouincias à domino meruit inſigniri. Hæc patria aeris ſalubritate,ſoli fæcunditate,animalium vbertate, fontium,fluminum,& piſcium copia, arborum amœnitate,& fere cunctarum rerum ad vſus vtilitatis & delectationis hominum pertinentium ſufficientiſſime dignoſcitur abundare. Inter ipſas delitias confert diuitias † rebus,eo quod ſerico, argento & auro puriſſimo præfulgeat. Inter cæteras regiones excellit orbem vniuerſum auibus ſilueſtribus domeſticis,& equis pulcherrimis &fortiſſimis,agilitate mirabili velociſſimis,vt bellicoſis militibus in aliquo non deſit materia viriliter decertandi. Exceptis omnibus his temporalibus bonis omnipotens Deus in tantum Hiſpaniam cæleſtibus ditauit donis, vt protomartyris Apoſtolorum Iacobi corpus ſibi tranſmitteret perpetuo in carne amplectendum, & doctorem gentium Paulum illi contulit ſpecialius in ſpiritu venerandũ. Etenim cum Romanis idem Apoſtolus ſcriberet,dixit ſe per eos tranſitum facturum, & venturum ad Hiſpanias. Quod vtrum in corpore venerit,licet quædam ſcripta, quæ videntur authentica,eum teſtentur veniſſe corporaliter,nos tamen ignoramus. Firmiter credimus eum promiſſum ſuum etſi non in corpore tamen in ſpiritu compleuiſſe: quia veritatis Apoſtolus mentiri non potuit. Teneat ergo Roma corpus Apoſtoli Pauli, & Hiſpania quadã prærogatiua, eius ſpiritus patrociniis ſe perfrui glorietur. Accedit ad Hiſpaniam antonomaſie decorãdam, quod illos duos inſignes martyres & Leuitas, ſcil. Laurentiũ & Vincentiũ genuit: quorum fama & ſanctitate vbiq; eccleſia Chriſti roboratur. Quæ patria vel quæ ciuitas vt Legio vrbs Hiſpaniæ tale quid protulit, quam Chriſti martyrẽ Marcellum centurionem cum beatiſſima vxore Nona & duodecim filiis centurionibus & Chriſti martyribus edidit: quorum ſanguine & fide plebs catholica roboratur. Nomina eorũ hæc ſunt, Claudius, Lupercus, Victoricus, Facundus, Primitiuus, Emeterius, Celedonius, Seruandus, Germanus, Fauſtus, Ianuarius, & Martialis. Vt autem ad pręſens omittam infinitam aliorum ſanctorum multitudinem, quorum martyrio & doctrina Hiſpania fulget: veniam ad Seuerianum Carthaginenſem Ducem, qui de vxore Theodora illos tres doctores inclytos Leandrum ſcilicet Archiepiſcopum Hiſpalenſem & Iſidorum archipræſulem ambos primates Hiſpanię, atq; Fulgentium epiſcopum omnes Chriſti confeſſores, filios meruit obtinere. Augent & laudes Chriſti virgo Florentina religioſarum Abbatiſſa, & Theodoſia glorioſa Regina: quæ ſanctorum horum doctorum vtroq; parente ſorores fuerunt. Quales hi doctores fuerint, eorum florigeris libris & beneficiis orbis experitur quotidie vniuerſus. Laudabilis eſt inter ſacras virgines illa ſanctiſſima Florentina: ſed dignis præconiis efferenda eſt glorioſa Theodoſia. Etenim ipſa in ſanctiſſimo Hermegillo Rege & Martyre filio ſuo acerrimã mentis pertulit paſſionem, quamuis eccleſia multos meliores martyres veneretur. Laurentium tamen & Vincentium excellenter inter ceteros colit: & nuſquam reperitur tantus pater, qui cum tantis filiis numero & genere vt Marcellus, ad palmam martyrii perueniret. Similiter Seueriano non legitur ſimilis pater, qui tantorum trium doctorum, & tantarum duarum filiarum filiali contubernio frueretur. Extollit etiam Hiſpaniam ſanctiſſimus ille Romanus Papa Damaſus natione Hiſpanus: qui præ cæteris virtutum operibus, eccleſiam Apoſtolorum principis Petri opere miro fundauit Romæ: & ex diuerſis mundi partibus multa ſanctorum corpora detulit ad eandem vrbem glorioſius decorandam. Glorioſus Toletanus archipræſul & Hiſpaniarum primas Illefonſus beatorum Leandri & Eugenii conſanguineus, Hiſpaniam laudabilem reddit: qui viuens in corpore pallio cæleſti à Regina cælorum Dei genetrice Maria meruit inſigniri. Beatiſſimus quoque Froilanus Legionenſis epiſcopus, ſuper quem Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit: cuius & labia immiſſis ardentibus prunis non æſtuarunt. Innumerabiles quidem ſunt ſancti in ſanctiſſima patria procreati: vt ſunt Vincentius, Sabina, Chriſteta, Felix, Fructuoſus, Eulalia, Marina, Euphemia, & alii plures, quorum ſi voluero nomina tradere ſcriptis, facilius me tempus quam copia deſeret: ſed prætermittendi non ſunt ſanctiſſimi Dominicus, & Antonius, qui Apoſtolorum opera noſtris temporibus adauxerunt. Dominicus ſanctiſſimus ordinem Prædicatorum inſtituit ſancto Spiritu ſuggerente: & Antonius beatiſſimo patri Franciſco in ordine pauperum beatorum, ſanctitate ſucceſſit primus. Sanctus etiam Dominicus Cluniacenſis ordinis Abbas de Silos in liberandis de carcere Sarrace-

Sarracenorum, captiuis gloriam præ cæteris ſanctis reportare videtur. Quid de venerabili Martino Legionenſi presbytero ſentiendum? qui tantam à domino precibus in diuinis ſcripturis prærogatiuam obtinuit, vt in expoſitione ſcripturarum ſanctiſſimis primis doctoribus merito valeat adæquati. Antiquitate præterea philoſophorum fulget Hiſpania, eo quod genuit Ariſtotelem ſummum philoſophum nobilem inueſtigatorem aſtrorum, & Senecam facundiſſimum atq; Lucanum hiſtoriographum & poetam clariſſimum. Inter quos Iſidorus præminet glorioſus cui mortalium nullus in varietate ſcientiarum poteſt recto iudicio adæquari. Lucium quoque conſulem, Neruam & Traianum Hiſpania Romæ dedit imperatores ſtrenuos: qui remp. admodum augmentarunt, licet perſecutione dira Chriſtianos fuerint perſecuti. Theodoſium etiam chriſtianiſſimum Imperatorem Hiſpania genuit, qui decorauit Romanum imperium legibus æquitatis. Hos præſcriptos viros & innumerabiles alios laudum titulis dignos Hiſpania genuit: vt habeat præclara Gotthorum poſteritas, quos merito debeat imitari. Habent Hiſpani martyres & confeſſores inter ſanctos ſanctiſſimos: habent doctores inter doctos doctiſſimos: habent mundi ſapientes inter cæteros peritos ſapientiſſimos: habent & milites ſtrenuos inter cæteros milites mundi præcipue animoſos. Quorum animoſitas & audacia tam feruida eſt, vt non ſolum illos, verum etiam patriam nonnunquam in periculum ducat. Sunt & poſt triumphos valde clementes: qui vt virtuoſi permaneant, Principe indigent ſapiente. Nam quis poterit mortalium tantæ virtutis reſiſtere viris, ſi ſapientia non præueniat illos. De iis quidam ſapiens eorum mores ſubtiliter conſiderans dicit: expertus eſt belli, promptus, victiſque benignus, impatiens, fortis, audax, dans vulnera mortis. Peruolat ingenio gaudens in munere dando. O quam exactus debet eſſe, qui fortibus & ſapientibus dominatur. O quam beatus & glorioſus eſt princeps, qui habet huiuſcemodi populos regere: dummodo ipſe ſapientia gubernetur, & ſuorum conſilio ſapientium perfruatur: Nihil enim deeſt illi, eo quod habeat ſanctiſſimos Apoſtolos, martyres fortiſſimos, & doctores doctiſſimos, per quos ſanctam fidem accepit catholicam. Non enim in fide mutare poteſt, quia non per qualeſcumque viles & rudes perſonas, ſed per ſanctiſſimas & generoſo ſanguine nobiliſſimas Dei leges accepit. Imitetur eos igitur fide, ſanctitate ſequatur, & eorum prudentia decoretur, quorum natalibus generoſo ſanguine ſociatur. Habet & Hiſpaniæ Princeps viros conſilii, quos natura ſapientia fecit inſignes. habet, vt dictum eſt, milites bellicoſos, & etiam pedites agiles & animoſos, cum quibus poteſt bellorum fortia exercere & muros ferreos penetrare. Habet præterea patriam fertilem & ditiſſimam: quæ ſuis conſueuit abundanter & delitioſe temporalia bona conferre. De diuitiis Hiſpaniæ in libro Macchabæorum meminit diuina ſcriptura dicens, quod Romani obtinuerunt metalla auri & argenti eius, ſapientia ſua. Hæc patria ab, is, quod eſt vnum, vel ſolum, &, pan, quod eſt totum, &, ia, quod eſt ſtella, quaſi ſola tota ſtella dicitur Hiſpania: quia ſpecialius præ cæteris prouinciis propriis bonis abundat. Dicitur & ab Ibero flumine Iberia, & ab Heſpero occidentis ſtella Heſperia: quia ſicut hæc ſtella in occiduo climate fulget inter ſidera, ſic Hiſpania ſitu in ſucceſſum transmiſſo non eſt in vltimis regionibus vltima, ſed in primis prima. Præfulget etiam omnimoda libertate Hiſpania, cum in agendis cauſis ciuilibus propriis vtitur legibus: & Hiſpanorum Rex nulli ſubditur imperio temporali. Et quia duo ſunt extrema ſcilicet paradiſus & Hiſpania, quadam affinitate delitioſa alludunt ſibi. De hac quidam minus ſapienter ſcribentes, propter oppoſitionem orientis dixerunt, eam eſſe frigidam & ſiccam, non attendentes quod ſicut oriens ſita eſt iuxta torridam zonam, vnde orientis qualitatis eſſe probatur. Igitur Rex & populi qui tanta bona ſpecialia à domino acceperunt, indeſinenter illi ſpecialius gratias referant, & fortiter & ſapienter collata beneficia cuſtodiant. Hoc reducant frequenter ad cor: quia cum difficultate cuſtoditur, quod à multis diligitur: & illius bona latrones latenter ſurripere moliuntur, quem non valent nudare ſuis ſpoliis violenter. Nos verò ad libros chronicorum à doctore Hiſpaniarum Iſidoro editos manum mittimus, ſecundum etiam quoſdam alios Hiſpanorum Regum & aliorum quorundam ſeriem proſequendo præceptis glorioſiſſimæ Hiſpaniarum Reginæ dominæ Berengariæ omni deſiderio deſiderantes fideliter ſatisfacere. Ipſa enim, cuius catholicis præceptis non licet nec libet reſiſtere, mihi Lucæ indigno diacono, vt hoc perficerem, imperauit. Chronica antiqua ſeries interpretatur: & dicitur à, chronos, quod eſt tempus, vel ſene, ſiue longum. & ſcriptis continet opera nobilium homi-

num,ne more labentium aquarum, ab humanis mentibus dilabantur. Tamen ſciendum quod in hac chronica ille annorum numerus non ſeruatur,qui in libro Geneſis continetur. Moyſes namque magis ſucceſſiones generationum, quam annorum ſeriem ſtuduit ordinare: maxime dum ſacra ſcriptura illud quemlibet aſſerat viuere,quod bene ac ſancte vixit: reliquum verò tempus vitæ,quo non bene viuitur,potius eſt mori quam viuere. Quapropter Moyſes centum annos ſiluit, quibus Adam Abel mortuum luxit, & Euam cognoſcere noluit. Et Saul duobus annis legitur regnaſſe, eo quod illis tantum bene rexerit: cum aliis pluribus annis regnum indigne tenuerit. Iſidorus autem plus eſt in hoc opere in annorum ſeriem ordinandam ſecutus ſeptuaginta interpretes,& quoſdam alios, qui magis annorum numerum ſunt ſecuti. Perutilis eſt hic liber in ſcripturis ſacris,quia quantitatem annorum ab exordio mundi vſque ad Chriſtum lucide manifeſtat. Quædam,quæ in ſacris hiſtoriis deeſſe videntur,ſupplet: & ſeculi ætates oſtendit manifeſta præuia ratione.

INCIPIT

# INCIPIT CHRONICA BEATI ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.

*Prologus.*

BREVEM temporum annotationem per generationes & regna primus ex noſtris Iulius Africanus ſub Imperatore Marco Aurelio Antonino ſimplici hiſtoriæ ſtylo elicuit. Dehinc Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, atq; ſanctæ memorię Hieronymus presbyter chronicorum multiplicem hiſtoriam ediderunt regnis ſimul ac temporibus ordinatam. Poſt hos autem alii atq; alii, inter quos præcipue Victor eccleſiæ Tunnenſis epiſcopus recenſitis prædictorũ hiſtoriis geſta ſequentium ætatum vſq; ad cõſulatum Iuſtiniani iunioris expleuit. Horum nos & quorundam aliorum hiſtoriographorum ſummam temporum ab exordio mundi vſq; ad Auguſti Heraclii & Siſebuti vel ſcintillam Hiſpaniæ Regum tempora compendioſa breuitate notauimus, adiicientes è latere deſcendentem lineam temporum: cuius indicio ſumma præteriti ſeculi cognoſcatur.

*Prima ætas ſeculi.*

SEx diebus rerum omnium creaturas Deus formauit. Primo die condidit Deus lucem & omnem angelicam creaturam. Secundo die condidit firmamentum: quod quam primum fuit factum, ſtatim ſanctis angelis eſt decoratum, ſuperbis angelis in hunc aerem caliginoſum expulſis. Firmamentum in medio aquarum Deus fecit: & quandam exteriorem mundi ſuperficiem ex aquis congelatis diſpoſuit ad inſtar cryſtalli ſolidatam & lucidam, intra ſe cætera ſenſibilia continentem: & in firmamento poſtea ſidera fecit. Tertia die congregauit Deus aquas inferiores in vnum locũ, id eſt, in viſcerib. terræ, & apparuit arida; quæ terra dicitur quia pedibus teritur. Quarta die fecit Deus ſolem & lunam & ſidera. Quinta die fecit piſces & volucres de aqua. Sexto die fecit beſtias & iumenta. Et tunc omnibus valde bene diſpoſitis ad imaginem & ſimilitudinem ſuam de limo terræ formauit Adam: cui animam creatam de nihilo inſpirauit. Extra paradiſum factus fuit: & ad paradiſum colonus deductus. Vltimus omnium creaturarum factus, vt ſtatim inueniret omnia inferiora perfecta, quibus præeſſet. Hora prima diei fuit factus, hora tertia in paradiſum deductus, hora ſexta ſeductus, hora nona à paradiſo expulſus. Septima die Deus cuncta quæ fecerat, benedixit: & diem ipſam ſabbathum, id eſt, requiem vocauit.

Præmiſſis quinq; dieb. in ſexto die Adã formatus eſt: qui vixit annis DCCCC.XXX.

| Anni ab orbe c. | Adam annorum CCXXX. genuit Seth. |
|---|---|
| 435. | Seth annorum CCV. genuit Enos. |
| 625. | Enos annorum CXC. genuit Cainam. |
| | Cainam annorum CLXX. genuit Malaleel. |
| | Malaleel annorum CLXV. genuit Iared. |
| | Iared annorum CLXII. genuit Enoch. |
| | Enoch annorum CLXV. genuit Mathuſalem. |
| | Mathuſalem annorum CLXVII. genuit Lamech. |
| | Lamech annorum CLXXXVIII. genuit Noe. |
| 2242. | Noe anno ſexcenteſimo factum eſt diluuium. |

Adam extra paradiſum anno quintodecimo, ex quo factus eſt, genuit Caim & ſororem eius Calmana. Licet vnius diei fuerit Adam cum eſſet in paradiſo, triginta tamen annorum habuit perfectionem: & virgo exiit de paradiſo. Poſt quindecim annos alios genuit Abel, qui interpretatur nihil, luctus, vel vapor, & ſororem eius Delboram.

Præterea plures alios filios & filias fertur Adam genuiſſe. Caim qui interpretatur poſſeſſio, ſpicas attritas & corroſas ſecus viam, ductus auaritia obtulit Deo: & dominus munera eius non reſpexit; ſiue quia prius comedebat, deinde offerebat placens ſibi plus quam Deo. Abel de pinguioribus gregis primogenita obtulit: & ignis de cælo oblationem eius intendit. Quare iratus Caim Abel interfecit: & dominus in Caim ſignũ, hoc eſt, tremorem capitis poſuit. Tunc egreſſus Caim à facie domini habitauit ad orientalem plagam Edem, hoc eſt, deliciarum cum vxore ſua Calmana, ex qua genuit Enoch,& quia latrociniis & rapacitatibus inſiſtebat, primus ciuitatem condidit, & Enoch vocauit, & multitudine ſuæ poſteritatis impleuit. Enoch genuit Irad, qui Mauiael, qui Mathuſale, qui Lamech. Qui ſeptimus ab Adam, primus contra inſtituta Dei bigamiam induxit. Genuitque ex Oda Iabel qui adinuenit portatilia paſtorum tentoria, & greges characteribus diſtinxit. Nomen fratris eius Tubal, qui fuit inuentor muſicæ. Ex Sella genuit Tubalcain qui ferrariam artem primus inuenit, bella concitauit, ſculpturas operum in metallis fabricauit. Prænominatus Tubal malleorum eius ſonitu delectatus ex proportionibus & conſonantiis eorum, muſicam excogitauit. Tubalcain etiam, cum frutices in paſcuis incendiſſet, venæ metallorum fluxerunt in riuulos: & ſublatæ laminæ figuras locorum, in quibus iacuerant, referebant: vnde in metallis ſculpere adinuenit. Soror etiam eius Noema variæ texturæ artem inuenit. Lamech autem vir ſagittarius fuit: & Dei nutu oculorum caliginem incurrit. qui habens adoleſcentem ducem, dum exercet venationem, interfecit Cain inter fruteta exiſtimans eſſe ferã, quem quia ad indicium adoleſcentis ſagittam dirigens interfecit, dum factum comperit, adoleſcentem arcu verberando occidit.

Adam autem dolens quia Cain Abel interfecit, vxorem ſuam propoſuit non cognoſcere: & iuxta Hebron in loco, qui vallis lachrymarum dicitur, Abel filium ſuum luxit, & centum annis à toro coniugali abſtinuit. Admonitus autem à Deo per Angelum, vt ſuſcitaretur ſemen iuſtum, quod eſt ſtirps filiorum Dei, cum eſſet ducentorum triginta annorum genuit Seth, qui pro Abel natus eſt, interpretaturque reſurrectio. Seth annorum ccv. genuit Enos, qui cæpit inuocare nomen domini, verba deprecatoria componendo. Enos annorum cxc. genuit Cainam, qui interpretatur natura Dei. Cainam genuit Malaleel, qui interpretatur plantatio Dei, Malaleel genuit Iared, qui interpretatur deſcendens ſiue roborans. Iared genuit Enoch, qui tranſlatus eſt à Deo in paradiſum voluptatis, vt in fine temporum cum Elia conuertat corda patrum in filios quique pugnabunt cum Antichriſto. Iſte Enoch nonnulla ſcripſiſſe fertur ſapienter: ſed antiquitate ſuſpectæ fidei à Patribus refutata ſunt. Enoch genuit Mathuſalem qui iuxta annorum ſeriem vixiſſe quatuordecim annis poſt diluuium reperitur. Sed non legitur fuiſſe in arca: propter quod nonnulli cum patre ſuo Enoch, qui tranſlatus fuerat, aliquantulum fuiſſe, donec diluuium præteriret, falſa opinione exiſtimant. Hac generatione concupierunt filii Dei filias hominũ, id eſt, filii Seth filias Cain.

DCCCC LXVIIII Mathuſalem vixit † DCCCC LXXIX annis, & eodem anno mortuus eſt, quo diluuium fuit. Mathuſalem genuit Samech. hac generatione gigantes nati ſunt. Tunc temporis cæperunt mala multiplicari in terra. Nam filii Adæ, qui boni extiterant vſque ad ſeptimam generationem, contemnentes præcepta Adæ & patrum ſuorum paulatim ad mala corruere cæperunt. Etenim Adam viuens prohibuerat, ne miſcerentur filii Seth cum filiabus Cain. Mortuo autem Adam Seth ſeparauit cognationem ſuam à cognatione Cain, qui redierat ad natale ſolum. & habitauit Seth in quodam monte proximo paradiſo. Cain habitauit in campo, vbi fratrem occiderat. & exarſerunt filii Cain in alterutrum coeuntes: & abutebantur fratrum ſuorum vxoribus. Mulieres etiam in væſaniam verſæ ſupergreſſæ viris abutebantur. Filii autem Seth reuertentes ad natale ſolum corruperunt filias Cain, eo quod ſibi pulchræ videbantur: & ex eorum copula orti ſunt gigantes. Incubi etiam dæmones cum mulieribus concũbere videbantur, quod vere non poterat eſſe ſed deluſiue. Lamech genuit Noe, qui requies interpretatur. Iſte coram Deo ambulabat, & deteſtabatur mala facta hominum. Noe cum eſſet quingentorum annorũ genuit Sem, Cham & Iaphet. Vigeſimo autem anno antequã quingenteſimũ expleret, fecit iuxta præceptũ domini arcã de lignis læuigatis, id eſt, quadratis & bituminatis lõgitudine trecentorũ cubitorũ, latitudine triginta. Hi cubiti geometrici intelligendi ſunt: alioqui tãta capere non valeret. Continet enim cubitus geometricus ſex noſtros, vel ſecundum quoſdam nouem. Erat arca ſuperius anguſta in cubito conſummata, inferius vero ampla quandam habens rotunditatem ad modum ſentinæ nauis. Habuit quinque cameras, quarum inferior quadratura

areæ

areæ erat vna ſtercoraria, & altera apothecaria. deinde vna mitium animalium, altera immitium, media vero, quæ ſuperior, hominum erat & auium. Illa tantum animalia in ea ſunt intelligenda fuiſſe, quæ in aquis viuere non poſſunt, & quæ de corruptionibus non naſcuntur, vt muſcæ, apes, & quædam alia. Per centum annos continuos Noe conſtruxit arcam.

Tunc homines perpendentes quod aqua vel igne perire poterant, ſtudia ſua conſcripſere in duabus columnis, altera marmorea, altera lateritia: quarum altera non dilueretur diluuio, altera non diſſolueretur incendio. Iubal frater Tubalcain huius operis exiſtente magiſtro: quia audierat Adam prophetaſſe de duobus periculis aquæ videlicet & ignis, quæ ventura erant ſuper omnem carnem. Quarum lapidea columna fertur diluuium euaſiſſe, & hactenus in Syria permanere. Prima, quæ nunc dies Dominica dicitur, ingreſſus Noe in arcam. Seorſum viros ſeorſum mulieres Deus in ingreſſu nominauit, vt tempore pœnitentiæ oſtenderet, eſſe vacandum ab amplexu carnis. Centum quinquaginta diebus creuerunt aquæ, & eleuata eſt arca ſuper omnes montes quindecim cubitis: vt ablueret aqua ſordes aeris, vſque quo aſcenderant praua opera hominum, de quorum ſacrilegiis aer fuerat maculatus. Vſque ad eundem locum ignis aſcendet in die Iudicii vt purgetur aer à vapore aſcendente de ſacrificiis idolorum. Per annum fuit Noe in arca lumen recipiens per criſtallinam feneſtram: & egreſſus eſt anno reuoluto, eo die & menſe quo eſt ingreſſus ſcilicet Maio. Reſedit arca ſuper Armeniæ montem, qui Barim dicitur; vbi vſque hodie lignorum illius reliquiæ demonſtrantur.

### *Secunda ætas ſeculi.*

SECVNDA ætas, quam per generationes dicimus currere, vnam minus habet ſecundum codices Hebræos: quæ hic ponitur, id eſt, illum qui dicitur Cainan; quam tamen generationem & ſeptuaginta interpretes memorant, & euangelium ſecundum Lucam confirmat. Hæ autem duæ ætates ſeculi, id eſt, ante vna & ſecunda poſt diluuium, ideo nullam habent difficultatem in peruentione annorum, quia directis generationum lineis currunt, & vnus ex altero propagatur.

| | |
|---|---|
| | Sem anno ſecundo poſt diluuium genuit Arphaxad. |
| Anni ab orbe c. | Arphaxad annorum cxxxv. genuit Cainan. |
| 1277. | Cainan annorum cxxx. genuit Sala. |
| | Sala annorum cxxx. genuit Heber. |
| | Heber annorum cxxxiv. genuit Phaleg. |
| | Phaleg annorum cxxx. genuit Ragau. |
| | Ragau annorum cxxxii. genuit Seruch. |
| | Seruch annorum cxxx. genuit Nachor. |
| | Nachor annorum LXXIX. genuit Thare. |
| 3314. | Thare annorum LXX. genuit Abraham. |

Sem anno ſecundo poſt diluuium genuit Arphaxad: à quo gens Chaldæorum exorta eſt. Iſte Sem fertur fuiſſe Melchiſedech, qui primus poſt diluuium condidit vrbem Salem, quæ nunc vocatur Ieruſalem. De tribus filiis Noe, id eſt, Sem, Cham, & Iaphet exortæ fuerunt ſeptuaginta duæ gentes. De Iaphet quindecim, de Cham triginta, de Sem viginti ſeptem. Filii Sem Aſiam inhabitauerunt: ſed filii Cham quandam Aſiæ partem violenter occupauerunt: atque Salem capientes expulſis filiis Sem & Iebuſæis Iebuſalem eam vocauerunt. Filii Iaphet Europam ſortiti ſunt: filii autem Cham Africam tenuerunt. Natus eſt Noe filius poſt diluuium, quem Ionitum vocauit. Dedit Noe Ionito donationem benedictionis, & dimiſit eum in terram Etham. Et intrauit eam Ionitus vſque ad mare, quod Helioſcora dicitur, id eſt, ſolis regio. Hic accepit à Deo donum ſapientiæ, & multa ſapienter adinuenit: atque quoſdam futuros euentus rerum præuidit: cuius generatio permixtim cum filiis Sem habitauit. Arphaxad filius Sem genuit Sala à quo antiqui Salamitæ vel Medi orti ſunt. Sala genuit Heber, à quo Hebræi nuncupati ſunt. Heber genuit Phaleg, cuius tempore turris Babel ædificata eſt, factaque linguarum diuiſio, & multi dii adorari cœperunt. Nam alii colebãt ignẽ, alii aquã, alii ſolẽ, & ſic de aliis elemẽtis: vnde Phaleg diuiſio interpretatur. Impleti ſunt dies Noe nongẽtis quinquaginta tribus annis, & mortuus eſt. Nemo putet falſa quæ de antiquorũ lõgæuitate ſcripta ſunt: quia propter inueniẽdas virtutes & glorioſas ſcientiarũ vtilitates, atq; aſtrologiã & geometriã Deus eis amplius viuẽdi ſpatiũ

condonauit: quæ aliter diſſerere non potuiſſent, niſi quingentos triginta viuerent annos: per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Poſtea vero annorum numerus in vita hominum extitit diminutus: & terra non fuit adeo fertilis poſt diluuium ſicut fuerat ante.

Nembrot autem ex patre veniens de Cham & ex matre Cibelne de Irom filio Sem gigas fortiſſimus: cuius erat ſtatura altitudinis decem cubitorum, venit ad Ionitum,& eruditus eſt ab eo in multis: & doctus de ortu quatuor futurorum regnorum, & caſu eorum per ſucceſſionem quod primi regnarent de Cham, deinde de Sem, vnde Perſæ,tertio de eodem Sem & Iaphet,vnde Græci, quarto de Iaphet, à quo Romani. Fuit autem Nembrot potens in terra,& robuſtus venator hominum coram domino,id eſt,extinctor & oppreſſor amore dominandi. Hic tranſiit ad Chaldæos, & docuit eos ignem colere:& ſolicitabat genus ſuum de Sem,vt imperaret aliis quaſi primogenitus. Qui cum nollent acquieſcere,cæpit eos ſolicitare de timore diluuii,ne iterum inundaret & diſperderet eos. Tranſiit autem Nembrot ad filios Cham & regnauit inter eos. Huius exemplo cæpit regnare Iectan ſuper filios Sem, & Suphene ſuper filios Iaphet. Tunc conſilio Nembrot conuenerunt prædicti duces in campum Sennaar: & timentes diluuium cæperunt ædificare turrim,quę pertingeret vſq; ad cęlos,habentes lateres coctos pro ſaxis & bitumen pro cæmento. Hoc autem bitumen,vt fertur, non niſi ſanguine menſtruo diſſoluitur poſtquam fuit deſiccatum. Hęc turris altitudine tenere duo millia ſexcentos triginta tres paſſus dicitur: cuius latitudo tanta eſt,vt prope eam aſpicientibus altitudo longe minor videretur. Deſcribunt ibi templa marmorea fuiſſe lapidibus pretioſis auroq; diſtincta,& multa alia quæ videntur incredibilia. Dominus autem deſcendit,& linguas eorum in ſeptuaginta duas loquelas diuiſit,ita vt nō intelligeret quiſq; proximum ſuum:& cōſtruere ceſſauerūt. Nembrot verò expulit filios Sem & filios Iaphet à turri calliditate quadam,& Babyloniam condidit,& regnum ſuum ſuper filios Cham firmauit: & poſtea ad Perſas migrauit,eoſq; ignem colere docuit. Aſſur autem filius Sem ad Chaldæos venit,& purpuram,vnguenta criniū & corporum bene fragrantia reperit: à quo Chaldæa Aſſyria dicta eſt: & Aſſyriorum regnū inde exortum eſt. quod tempore Seruch proaui Abrahæ factum eſt.

Phaleg genuit Ragau. Ragau genuit Seruch. Hoc tempore Belus Nembrotites Rex Babylonis (quia fuit alter Belus Rex Græciæ) intrauit Aſſyriam, ſed parum in ea obtinuit. Eo tempore Scytharum regnum exortum eſt: vbi primus regnauit Tanaus,& poſt eum Ninus. Seruch genuit Nachor. Ægyptiorum regnum ſumit principium, vbi primus regnauit Zoes qui & Mineus. Nachor genuit Thare: ſub quo regnū Aſſyriorum ampliatum eſt regnante Nino: quia primus in Aſſyriis regnauit Belus, quem quidam Saturnum exiſtimant. Ea quoq; ętate Sicyoniorum regnū exoritur: vbi primus regnauit Ægialeus: à quo Ægialea nuncupata eſt, quæ hactenus Peloponeſus vocatur. Et ſic quatuor principalia regna per idem tempus exorta ſunt: Aſſyriorum ab oriente,Scytharum ab Aquilone,Ægyptiorum à meridie,Sicyoniorū ab occidente. Eo tempore Ninus filius Beli poſt mortem patris primus bella campalia inſtituit,& armorum multa inſtrumenta inuenit,& auxiliante vxore ſua Semiramide,quæ in multis ſapientiſſima videbatur,totam Aſſyriam obtinuit: & ciuitatem in ea,in qua caput regni erat itinere dierū trium ampliauit,& à ſuo nomine Niniuem nuncupauit. Tum Cham qui Zoroaſtes filius Noe magicam artem reperit:& ſeptem liberales artes in quatuordecim columnis ſcripſit,ſcilicet in ſeptem æneis & ſeptem lateritiis cōtra diluuium & contra ignem. Ninus autem pugnando Cham Regem Bactrianorū vicit & occidit, & libros eius combuſſit. Eo quoq; tempore muri Babyloniæ à Semiramide Regina Aſſyriorum fortiſſimo & mirabili opere reædificantur. Hæc primo femoralia,id eſt,bracas inuenit,ne denudatio Noe in opprobrium ſuccederet filiorum. Ninus etiam idola primo inuenit ſic. Mortuo Belo Ninus in ſolatium doloris imaginem patris fecit fieri: cui tantam exhibebat reuerentiam,vt quibuslibet reis parceret,qui confugiſſent ad eam. Proinde homines de regno eius honores diuinos imagini cæperunt impendere. Maligni etiam ſpiritus quaſdam deluſiones circa imaginem faciebant: vnde cæcata mente miſeri mirabantur. Huius exemplo plurimi caris ſuis mortuis imagines dedicauerunt: & ſicut ab idolo Beli cætera traxerunt originem , ſic & ab eius nomine generale nomen ſumpſerunt. Sicut enim dictus eſt Belus ab Aſſyriis, ſic aliæ nationes ſecundum idiomata linguæ ſuæ dixerunt aliæ Bel,aliæ Beel,aliæ Baalim,imo & nomina ſpecificauerunt aliæ Beelphegor,aliæ Beelzebub dicentes.

Cirophanes primus idolatra Ægyptiorum. Chaldæi ignem adorabant, & coge-

bant

UNED

bant alios idem facere, alia idola comburentes. Sacerdotes verò Ægypti, qui aquam adorabant, eo quod Ægyptum præ cæteris regionibus vtilius irrigabat: magnum quoque idolum in honorem Beli formauerunt, remouentes autem coronam auream appoſuerunt ei vas fictile ad modum coronæ perforatum: ad quod per occultos meatus aqua deſuper veniebat inferioribus foraminibus cera obturatis. Venientes autẽ Chaldæi appoſuerunt ignem, & liquefacta cera aqua defluens, quæ erat in corona extinxit ignem, & præualuerunt idola Ægypti.

Thare genuit Abraham. Frater Abrahæ Aram mortuus eſt ante patrem ſuum in Vr Chaldæorum: & eſt nomen ciuitatis, vbi hactenus ſepultura eius oſtenditur. Hebræi, Vr, ignem dicunt: & tradunt quod Chaldæi in ignem, per quem traiiciebant paruulos ſuos, proiecerunt Aram & Abraham, quia nolebant ignem adorare. Aram ibi expirauit: & Abraham Dei auxilio dicitur liberatus, vnde legitur: Ego ſum qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Thare autem habens odio terram propter luctum Aram, & non valens ſuſtinere iniurias, quæ fiebant ei, vt coleret ignem; ſtatuit peregrinari, & dedit Nachor Melcham vxorem, Abrahæ vero Sarai: qui & Loth fratrem vxoris in filium adoptauit, quia Sarai ſterilis erat. Egreſſus eſt ergo Thare cum illis, vt irent in terram Chanaam: & venerunt vſque ad Aram Meſopotamiæ ciuitatem. Cumq; Abraham relicto patre, habens tamen propoſitum reuertendi iret per Meſopotamiam, locutus eſt ei dominus dicens: Egredere de terra & de cognatione tua.

## *Tertia ætas ſeculi.*

TERTIA dehinc ætas ſeculi ſequitur: in qua ideo poſt commemorationem Abrahæ, Iſaac, Iacob, & Ioſeph, per Hebræorum ſeruitutem in Ægypto, & per tempora iudicum anni quæruntur, quia in generationib. illis quatuordecim, quæ per Matthæum ab Abraham vſq; ad Dauid commemorantur, non vbiq; anni ipſi manifeſte pateſcunt. Quod propterea dicimus, ne contrarium aliquid cuiquam videatur: quod alius illic generationum, alius hic annorum ordo ſeruatur: vbi anni quæruntur, cum illic euidens tantummodo generationum ordo texatur, qui perueniat vſq; ad Christum. Hic autem ſola annorum veritas deſcribatur, quæ in annis fidem collocet temporum.

| Anni ab orbe c. | Abraham annorum c. genuit Iſaac. |
|---|---|
| 3414 | Iſaac annorum LX. genuit Iacob. |
| 3474 | Iacob annorum XCI. genuit Ioſeph. |
| | Ioſeph annorum XXXVII. genuit Ephraim & Manaſſem. & vixit annos CX. |
| | Hebræorum ſeruitus annorum CXLIIII. |
| | Moyſes annos XL. rexit populum. |
| | Ioſue annos XXVII. |
| | Othoniel annos XL. |
| | Aod annos LXXX. |
| | Debbora annos XL. |
| | Gedeon annos XL. |
| | Abimelech annos tres. |
| | Thola annos XXIII. |
| | Iair annos XXII. |
| | Iepthe annos ſex. |
| | Abeſan annos ſeptem. |
| | Abdon annos octo. |
| | Samſon annos viginti. |
| | Heli ſacerdos annos XL. |
| 4255. | Samuel & Saul annos XL. |

Abraham cum eſſet ſeptuaginta quinque annorum relicta gente & patria ad imperium Dei venit in terram Chanaam accipiens promiſſionem naſciturum de ſuo ſemine ſaluatorem. Et annorum centum genuit Iſaac ex Sarra libera. Nam primum ex ancilla Agar genuerat Iſmael: à quo Iſmaelitarum genus, qui poſtea Agareni, ad vltimum Sarraceni ſunt dicti. Hoc tempore mortuus eſt Ninus: cuius vxor Semiramis, vt poſſet regnare poſt eum, proprio filio, quem ſuſceperat ex Nino, nupſit. & ex eo filium genuit, qui & Babyloniam ampliauit. Iacob annorum nonaginta genuit Ioſeph. His temporibus Serapis Ionis filius Ægyptiorum Rex moriens in Deos transfertur.

Tunc apud lacum tritonidem Minerua in ſpecie virginali apparuiſſe fingitur: quæ plurimis claruiſſe ingeniis prædicatur. Hæc enim inuenit clypeum, & diuerſis coloribus reperit ordiri telam, & colorare lanas hæc docuit. Hæc dicitur Pallas à Pallante gigante, quem interfecit, vel à Pallante inſula, in qua nutrita eſt. Hanc Græci Mineruam dicunt. His temporibus factum eſt diluuium particulare in Achaia ſub Ogyge Rege. Tunc etiam Phoroneus Rex Argolicus filius Regis Inachi primus Græciæ leges dedit, & ſub iudice cauſas agi inſtituit: locumque iudici deſtinatum à nomine ſuo forum appellauit. Soror ipſius Iſis in Ægyptum nauigauit, & quoſdam apices litterarum tradidit Ægyptiis, de agricultura eos docuit & tūc ſegetes primo habere cæperunt: vnde cum Io diceretur, Iſis ab eis dicta eſt: quod in lingua eorum, terra ſonat: & ob hoc poſt mortem in Deos in Ægypto recepta eſt. Filius etiam Phoronei, qui Apis dictus eſt, eo tempore in Ægyptum nauigauit, quem quidam virum Iſidis tradunt fuiſſe, & ſimiliter ab Ægyptiis deificatus eſt & Serapis nominatus. Tunc etiam Prometheus dictus eſt feciſſe homines, cum quia de rudibus doctos fecit, tum quia legitur feciſſe imagines hominum quas arte quadam deambulare fecit. Inuenit hic primus anulum ſed ferreum, & in eo incluſit gemmā, & quartū digitū ſcilicet medicū ex eo muniuit, quia inde vſque ad cor vena quædam pertingit. Hoc tempore, vt dicitur, Triptolemeus in naui, in qua pictus erat draco in Græciam venit, & ampliauit agriculturam. Ceres etiam præter inſtrumēta arandi, menſurandi granum adinuenit, cum prius in † arconiis ſegetes ponerentur, & numerabatur triticum per aceruos: vnde à Græcis demetra dicta eſt. Tum etiam Telchines à Græcis victi & exules Rhodum condiderunt. Eo tempore Eſau primus equas aſinis iunxit, vnde ortæ ſunt mulæ. Tunc etiam Atlas in aſtrologia multa reperit, motumque cæli & rationem præ cæteris, qui præceſſerant, ſubtilius conſiderauit. Tunc fuit & Mercurius nepos Atlantis multarum artium peritus, & propter hoc poſt mortem in deum translatus. Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam iunxit.

*Arcumis id eſt plauſtris ex Feſto. codex quidam legiſſe videtur, aceruis, & fortaſſis ea vera lectio eſt.*

Vixit Ioſeph centum decem annis. Hebræorum ſeruitus centum quadraginta quatuor annis durauit in Ægypto. Quod autem legitur, quadringentis triginta annis fuiſſe filios Iſrael in Ægypto, nomine Ægypti intelligendus eſt omnis incolatus eorum, qui cæpit à promiſſione Abrahæ facta in via Meſopotamiæ: à qua vſque ad legem datam tot anni fluxerunt. ſolis enim centum quadraginta quatuor annis ſeruierunt filii Iſrael in Ægypto poſt mortem Ioſeph. Quibus expletis ea die egreſſi ſunt, qua Abraham exiit ad peregrinandum. Leui filius Iacob genuit Caath, qui genuit Amram, qui ex Iacobel genuit Moyſem ſub Amenophi Rege Ægypti, qui ſicut cæteri Reges Ægyptiorum Pharao dicebatur. Pharao interpretatur regnans. Iſte Amenophis odiebat valde populum, & eos ne vacarent amplexibus & generarent liberos, multis laboribus opprimebat.

Cum autem præcepiſſet Amenophis vt omnes pueri Hebræorum necarentur in flumine, quidam taurus ex improuiſo egrediebatur de flumine, aliquando maxime infeſto Apis, habens in humero dextro ſignum candidum inſtar lunę corniculatæ. Ad quem cum Ægyptii confluerent, multis generibus Muſicorum pſallentes, eleuabatur in aere, & ſuper eos tanquam pſallens ferebatur: & ad motum vel ſtationem ipſius ipſi mouebantur in terra, vel ſtabant, & eadem die euaneſcebat. vnde Apis ab Ægyptiis dicebatur. Tunc quidam Sacrorum ſcriba Regi prædixerat eo tempore maſculum naſciturum in Iſrael qui regna Ægyptiis humiliaret, & virtute tranſcenderet vniuerſos. Hac de cauſa poſtea filii Iſrael adorauerunt vitulos aureos opinantes quod per hunc ab Ægypto fuerint liberati. Amram autem poſt edictum ad vxorem nolebat accedere, ne in necem filios procrearent. Diuina autem ei reuelatio in ſomnis aſtitit dicens, ne timeret vxorem cognoſcere, quia puer quem timebant Ægyptii, erat naſciturus ex ea. Concepit autem Iacobel & peperit. Et videns puerum elegantem abſcondit tribus Menſibus. cumque celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcripeam, & liniuit eam bitumine ac pice: & ponens intus infantulum in carrecto ripæ expoſuit eum, ne impetu fluminis raperetur, ſtante procul ſorore paruuli Maria, & ex præcepto matris rei exitum expectante. Et ecce deſcendit Thermut filia Pharaonis vt lauaretur in flumine. Quæ videns alueolum & ſibi afferri iubens, vidit paruulum vagientem: & miſerta eius dixit: de infantibus Hebræorum eſt hic. Sic enim Deus venuſtauerat eum, vt etiam ab hoſtibus dignus haberetur alimento. Et cum plures Ægyptiæ præberent illi vbera, nolebat accipere. Et ait Maria: vis adducam Hebræam? fortaſſis accipiet vbera gentis ſuæ. Ex præcepto ergo Thermut matrem paruuli tanquam alienam adduxit: & ſtatim

puer ad vbera eius acceſſit. Suſcepit Iacobel puerum à Thermut alendum, & ablactatum reddidit filiæ Pharaonis: quæ vocauit eum Moyſes, & eum in filium adoptauit. Ægypti enim, mos, aquam, is, ſaluatum dicunt. Quem dum quadam die Thermut obtuliſſet Pharaoni, vt ipſe adoptaret eum, Rex admirans pueri venuſtatem, coronam auream quam geſtabat, capiti eius impoſuit, erat in ea imago idoli Ammonis fabrefacta. puer coronam in terram proiecit & fregit. Sacerdos autem Heliopoleos, qui prædixerat per quendam puerum Hebræum in proximo ruituram Ægyptum, à latere Regis ſurgens exclamauit dicens: Hic eſt puer, quem Deus nobis occidendum monſtrauit vt de cætero timore careamus: & voluit irruere in eum, ſed defendente Rege liberatus eſt. Etenim quidam ſapiens aſſerebat, quod pueriliter & per ignorantiam eſſet hoc factum à puero: vnde non debebat ei vllatenus imputari. In cuius rei argumentum cum allatas prunas puero obtuliſſet, puer eas ori ſuo appoſuit, & linguæ ſummitatem corrupit: vnde dicitur impeditioris linguæ fuiſſe. Tantæ pulchritudinis extitiſſe fertur, vt nullus adeo eſſet crudelis, qui eius aſpectui non hæreret. Multique dum cernerent eum per plateam ferri, occupationes in quibus ſtudebant, deſererent. Hunc Thermut aſtronomia & omni Ægyptiorum ſcientia fecit erudiri.

Cum autem eſſet Moyſes adultus & ſtrenue doctus, Æthiopes vaſtauerunt Ægyptum vſque Memphim. Ægyptii vero conuerſi ad diuinationes, acceperunt reſponſum, vt vterētur auxiliatore Hebræo, & vix obtinuerunt à Thermut, vt exercitui quem parauerant, præficeret Moyſem, prius præſtitis ſacramentis, ne ei nocerent. Erat enim Moyſes vir bellicoſus & ſapiens, qui fluminis iter tanquam longius prætermittens per terram duxit exercitum itinere breuiori, vt improuiſos Æthiopes præueniret. Etenim per loca deſerta & ſerpentibus plena iter faciens tulit in arcis papyri ſuper plauſtra ibices ciconias Ægyptias naturaliter ſerpentibus infeſtas, quæ roſtro per poſteriora immiſſo aluum purgant, & caſtrametaturus proferebat eas, vt ſerpentes fugarent, & deuorarent: & ita tutus per noctes tranſibat exercitus. Tandem præuentos expugnans poſt fugā incluſit eos in Sabba regia ciuitate, quæ poſt Meroe dicta eſt. Erat ciuitas inexpugnabilis: & cum Moyſes diu obediſſet eam, Tharbis filia Regis Æthiopū iniectis oculis in eum ex conditione illi tradidit ciuitatem, vt duceret eam vxorem, quod ita factum eſt. Dum autem Moyſes vellet redire in Ægyptum, eo quod Tharbis erat idololatra, & eam plene ab errore non poterat reuocare, ipſa non acquieuit. Proinde Moyſes ſapienter in gemmis duas imagines ſculpſit huius efficaciæ, vt altera memoriam, altera obliuionem conferret. Inſeruit gemmas anulis: & obliuionis anulum vxori tradidit, & alterum ipſe tulit. cæpitque mulier amoris viri obliuiſci, & ita Moyſes in Ægyptum libere regreſſus eſt. Inde eſt quod Aaron & Maria poſtea iurgati ſunt aduerſus Moyſem pro vxore eius Æthiopiſſa. Tam in factis Moyſis quam aliorum ſanctorum patrum virtus diuina mundanam ſapientiam adiuuauerat.

Egreſſus Moyſes in terram Ieſſem, vidit præfectum operis Ægyptium percutientem quendam de Hebræis: & ſecreto percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo. Et cum audiſſet Pharao verbum hoc, quærebat eum occidere. Qui fugiens per deſertum venit in terram Madian, & ciborum inopiam virtute tolerantiæ ſuperabat. Et venit ad ciuitatem Madian circa mare Rubrum, ſic nominatam à quodam filio Abrahæ de Cethura. & accepit Sephoram vxorem, filiam Raguelis ſacerdotis Madian, id eſt, primatis. Antiquitus enim primates ſacerdotes vocabantur. Raguel agnominabatur Iethro & cognominabatur Cyneus. Dedit ei ſocer omnem curam gregum ſuorum: in quibus omnis antiquis barbaris nationibus erat poſſeſſio. Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit in montem Dei Sina, qui in quadam parte ſui dicitur Oreb: & apparuit ei dominus in flamma ignis in medio rubi. Erat autem mons ad paſturas egregius. Sed paſtores illuc aſcendere non præſumebant, tum quia excelſus erat, tum quia opinio erat Deum habitare in monte. Mortuus eſt tunc Pharao Rex Ægypti: & Phua filius Iuſti Heliopoleos ſacerdotis: qui quęrebat occidere Moyſem: & præcepit ei dominus vt deſcenderet in Ægyptum ad liberandum fratres ſuos. Tunc temporis multi Ægyptiorū timentes ruiturā Ægyptum ad alias ſedes ſe tranſtulerunt. Vnde Cecrops venit in Græciam & ibi vrbem condidit, quam Actam vocauit, & poſt Athenæ dicta eſt. Hanc quidam Græcorum Didas, & quidam Archomeniam dixerunt. hæc eſt mater liberalium litterarū & nutrix philoſophorum. Cecrops dictus eſt Diphyes & eſt nomen Ægyptium, quod latine dihomo vel bicorpor dicitur, vel propter proceritatē ſtaturæ, vel propter vtriuſque linguæ peritiam Græcæ ſcilicet & Ægyptię. Sub quo in

arce præter communem vſum oliua nata eſt. Hic ex nomine Mineruæ antiquos Athenienſes vocauit. Iſte etiam bouem immolans primus in ſacrificio Iouem adorare præcepit Creditur etiam hoc tempore egreſſum Dionyſium Bacchum, qui Argos condidit. Dicitur & diluuiũ in Theſſalia factũ ſub Deucalione Rege: & Phaetontis incendiũ fabuloſũ. Hoc tẽpore Corinthus eſt cõdita, & ibi ars picturæ ab Atlante reperta & aſtrologia publice declarata. Iamnes & Mambre inſignes magi Pharaonis: qui omnia ſigna, quæ dominus faciebat per Moyſem, corã Pharaone facere cõtendebant; cũ apud Aſſyrios regnaret Aſcades, apud Argiuos Troyphas. Octoginta annorum erat Moyſes, cum eduxit populũ Dei de Ægypto & quadraginta annis ſub prædictis Regibus rexit eum. Tunc Iudæi cum lege litteras habere cœperunt. Tunc templum Delphis conſtruitur. Lacedæmon conditur. Tunc primi Curetes & Corybantes imitantes armorum ſtrepitum modulatam ſaltationem & conſonam inuenerunt.

Rexit Ioſue populum annis viginti ſeptem. Troianorum gens antea Dardana à Dardano extitit nominata. Nam Dardanus & Iaſius fratres è Græcia profecti: ex his Iaſius ad Thraciam, Dardanus ad Phrygiam peruenit, & ibi regnauit primus. Poſt quem eius filius Erychthonius & nepos eius. Tros: à quo Troiani nominati ſunt. Tros Rex Gannimedis pater. His temporibus Erychthonius Athenienſium princeps qui Vulcani filius dicitur fabuloſe, currum iunxit in Græcia primus: & Troilus quadrigam in Troia. Iam enim erat currus inter alias nationes: Iſis Epaphum genuit, qui Memphim condidit cum in ſola Ægypto regnaret. Buſiris Rex valde crudelis fuit in hoſpites, ita vt eorum multos decapitaret & tormentis afficeret multis: Illum etiam cui præceperat facere bouem æneum intus concauum, innocuum, in eo primum combuſſit, vt eiuſdem bouis ſophiſticum experiretur mugitum.

Phænix & Cadmus de Thebis Ægyptiorũ in Syriã profecti in regione Tyri & Sidonis regnauerunt. Cadmo in Græciam recedente, terra à Phænice Phænicea dicta eſt. Tunc Europæ filiæ Phænicis fabuloſe Iupiter mixtus eſt. Danaus per quinquaginta filias, filios Ægiſti fratris interfecit vno tãtum ſcilicet, Lino ſuperſtite, qui regnauit poſt eum. Othoniel annis quadraginta. Tũc Cadmus Thebis regnauit, qui primus Græcas litteras adinuenit. Ex filia eius Semele natus eſt Dionyſius liber pater. Bythinia condita eſt à Phænice: qui Phænicibus quaſdam litteras tradidit, & ad ſcribendum vermiculum inſtituit, vnde & color ille puniceus quaſi phæniceus dictus eſt. Ephyra quæ nunc Corinthus dicitur à Siſipho ampliata eſt. Minos filius Europæ regnauit in Creta. Per idem tempus Linus & Amphion apud Græcos in arte muſica claruerunt. Aod annis octoginta populũ iudicauit. Tunc ciuitas Cyrene in Libya condita eſt. Tũc ficta eſt fabula de Tryptolemo quod iubente Cerere ſerpentium pennis geſtatus, id eſt longa nauigatione Eleuſim veniens frumenta diſtribuit: & Proſerpinam rapuit. de Rege Moloſorum Orco & de cane eius Cerbero tricipite, qui Peritoum deuorauit. De Phryxo & Elle ſorore ſua, quod ariete vecti per aerem volauerunt: & nouercales inſidias euaſerunt. De Hippocentauris quod equorum hominumque natura permixti fuerũt. De Bellerophonte quod pennis equi volãdo ſit vectus. De Amphione quod citharæ cantu lapides & ligna commouerit. De Gorgone meretrice, quæ crinita ſerpentibus in ſe aſpicientes in lapides conuertebat. Hanc Perſeus occidit, quia ob nimiam pulchritudinem & quibuſdam maleficiis ſpectatores ſuos mentis impotes faciebat. In Dardania regnat Tros à quo Troia multo honore eſt ampliata. Nam primo ſub Ioſue à Troilo condita fuit. Dionyſius in India Niſſam condidit. Debora annis quadraginta. Apollo Chitharam condidit, & medicinæ artem inuenit, & incantationem Pythonicam reperit. quare videbatur mortuos ſuſcitare. Regnum finitum eſt Argiuorum, & in Miſſenas translatum. Liber pater obiit: cuius ſepulchrum apud Delphos iuxta Apollinem habetur aureum. depingitur autem corpore muliebri, quia mulieres militantes cum viris habuit primus. Ilium ab Ilo conditur, & Miletus ædificatur. Picus qui fertur fuiſſe filius Saturni regnat in Latinis primus. Et notandum quod Hebræi ſub numero annorum iudicum comprehendunt interpoſitos annos ſeruitutis & quietis. Et ipſos iudices non exercuiſſe dominium in populo Iſrael: ſed conſilium & auxilium in tribulationibus præbuiſſe.

Gedeon iudicauit populum quadraginta annis. Tunc Meltinius inuenit ſyringas trahens hoc nomẽ à Syringa vxore Cadmi: quæ propter ſtudium harmoniæ à viro ſuo receſſit. Reperit etiam lyram hoc modo. Inuenit concham teſtudinis mortuæ: cuius nerui arentes & extenſi flatu auræ percuſſi tenuem ſibilum reddebant: ad quorum imitationem lyram reperit, & Orpheo tradidit. Hic fertur in Hiſpaniam

veniſſe, & ciuitatem Florem condidiſſe. Tres fuerunt Mercurii. Primus fuit Hermes. Secundus iſte qui & Trimegiſtus philoſophus. Tertius Mercurius minor in multis ſtudiis clarus. Tunc Tyrus condita eſt: & Dædalus aues fecit metallinas, quæ volare videbantur ſpiritu artificioſo incluſo. Similter etiam fecit ſimulacra ſe mouentia. Hic cum filio Icaro naui fugiens propter inueſtigabilem fugam pennis auolaſſe æſtimatus eſt: vnde & fabula de ipſo facta eſt. Argonautarum hiſtoria ſcribitur. Muſæus diſcipulus Orphæi, & Linus magiſter Herculis claruit. Minos Cretenſibus legem dicitur dediſſe, quod Plato negat. Hydram vero callidiſſimum fuiſſe ſophiſtam aſſerit Plato. Abimelech annis tribus. Hic primus legitur regnaſſe in populo Iudæorum: qui tamen non fuit Rex ſed tyrannus. Iſte ſeptuaginta fratres ſuos interfecit: & à muliere fragmen molæ in capite accipiens poſt vulnus occiſus eſt ab armigero ſuo apud oppidum Thebes. Nota quod à Thebis Ægyptiorum dicuntur Thebæi: à Thebis Græcorum dicuntur Thebani: à Thebe Iudæorum dicuntur Thebitæ. Hoc tempore † Silemon primus apud Phicium in Græcia eorum inuenit: quod inſtrumentum eſt pellis cum duabus cicutis, per alteram reſpiratur, & per alteram reddit ſonum. Thola annis viginti tribus. Priamus poſt Laomedontem regnat in Troia. Hercules Antæum palæſtræ artis inuentorem in palæſtra vicit & interfecit: & Ilium vaſtauit. Bellum fuit inter Lapithas & Centauros: qui fuerunt nobiles milites Theſſalorum. Theſeus in agone Minotaurum occidit: propter quod Athenienſes tributarii, pueri à pœna liberati ſunt. Fuit autem Minotaurus vir fortis & inhumanus magiſtratus Minois, valens in palæſtra: vnde dictus eſt Minois taurus, id eſt, Minois carnifex. Tunc ficta eſt fabula de Minotauro beſtia labyrintho incluſa. Iair annis viginti duobus. Hercules agonem Olympiacum inſtituit. Carmentis nympha Latinas litteras reperit. Theſeus Helenam rapuit, quam rurſus receperunt fratres eius Caſtor & Pollux capta matre Theſei, eo peregre profecto. Iepte annis ſex. Hercules flammis ſe iniecit, quia in morbum inciderat peſtilentem. Abeſan annis ſeptem. Agamemnon Athenis imperauit vel Mycenis. Menelaus Lacedæmone. Abdon annis octo. Alexander, qui & Paris, Helenam rapuit. Bellum decennale Troiæ ſurrexit. Memnon & Amazones in ſubſidium primo arma tulerunt: & ad vltimum famoſum Troiæ excidium prædicatur. Tamen ſecundum quoſdam ſub iudice Abeſan Paris Helenam rapuit. Et poſt Abeſan teſte ſacra ſcriptura Aialon iudicauit Iſrael decem annis, qui anni, quia non habentur apud ſeptuaginta interpretes ab Euſebio ſub Samuele & Saule computantur, quorum annos hiſtoria non oſtendit. Poſt Aialon Abdon iudicauit Iſrael: cuius anno tertio Troia capta fuit. Tunc Græci ad gloriam victoriæ ſuæ cæperunt annotare tempora ſua ſic: Anno à captiuitate Troiæ. Incepta vero Olympiade annotarunt tempora ſecundum numerum Olympiadũ. Capta Troia Menelaus & Helena venerunt ad Thuorum Regem Ægypti, qui alio nomine Polybus vocatur. Anno tertio à captiuitate Troiæ mortuo Latino Rege regnauit Æneas in Italia tribus annis: qui ob nobilitatem regnandi dictus eſt primus Rex Latinorum. In qua prius regnauerant Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, circiter centum quinquaginta annis. Hac ætate Vlyſſes nauigio in Hiſpaniam venit, & ciuitatem Vliſbonam condidit.

*Filemotis.*

Samſon iudicauit Iſrael viginti annis. Eo tempore Aſcanius filius Æneæ qui ſecundus Rex Latinorum dictus eſt, Albam condidit. Tunc Vlyſſis fabulæ vel Sirenarum fictæ ſunt. Fuerunt enim Sirenæ mulieres meretrices, quæ cantu & pulchritudine decipiebant nauigantes. Heli ſacerdos annis quadraginta. Fere viginti anni fluxerunt ſine iudice, qui aggregati ſunt annis, quibus iudicauit Heli. Tertius Rex Latinorum Syluius Poſtumus, filius Æneæ & Lauinæ: à quo deinceps Latini Reges Syluii nominati ſunt. Hunc Aſcanius hæredem reliquit adhuc viuente paruulo filio ſuo Iulio, à quo Iuliorum familia nomen & originem traxit. Filii Hectoris Ilium receperunt Neſtoris expulſis poſteris. Samuel & Saul quadraginta annis. Incertum eſt vtrum Samuel ante regnum Saulis viginti annis vel amplius populum iudicauit. Secundum Apoſtolum autem certum eſt, quod ambo rexerunt Iſrael quadraginta annis. Tunc apud Latinos quartus regnauit Syluius Æneas filius Poſtumi. His temporibus Homerus philoſophus dicitur floruiſſe. Saul autem poſt mortem Samuelis regnauit duobus annis. Iſte fuit primus Rex in Iſrael.

*Quarta ætas ſeculi.*

IN hac quarta ætate ſi cuiquam forte contrarium eſſe videtur, quod non ipſe numerus quatuordecim generationum hic ſeruetur, qui in Matthæo complectitur, attendat inter Ioram Regem & Ioathan, omiſſa Athalia, tres Reges in medio prætermiſiſſe Matthæum, qui hic cum annis ſuis ponuntur: & in euangelio detrahuntur pro eo quod Ioram genus ſe miſcuerat impiiſſimæ Iezabel: & idcirco vſq; ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in ſanctæ natiuitatis ordine poneretur. Quanquam & illud præ cæteris conſiderare conueniat, quod plures fuerunt ſucceſſiones, pauciores autem generationes. Non enim quæ Regum eadem generationum ſunt tempora: vnde & Matthæus, quos ad generationem non putauit pertinere, præteriit.

Anni ab orbe c. Dauid regnauit annis quadraginta.
4295 Salomon regnauit annis quadraginta.
Roboam regnauit annis decem & ſeptem.
Abia regnauit annis tribus.
Aſa regnauit annis XLI.
Ioſaphat regnauit annis viginti quinq;.
Ioram regnauit annis octo.
Ochozias regnauit anno vno.
Athalia regnauit annis ſeptem.
Ioas regnauit annis quadraginta.
Amaſias regnauit annis viginti nouem.
Ozias † Azarias regnauit annis quinquaginta duobus.
Ioathan regnauit annis ſedecim.
Achaz regnauit annis ſedecim.
Ezechias regnauit annis viginti nouem.
Manaſſes regnauit annis quinquaginta quinq;.
Amon regnauit annis duodecim.
Ioſias regnauit annis triginta † duobus. vno.
Ioachim † Sedechias & Iechonias regnauerunt annis vndecim.
Sedechias regnauit annis vndecim.

Dauid regnauit quadraginta annis, qui fertur vixiſſe centum decem annis. Iſte congregauit marmora, ferrum, lapides pretioſos, aurum, argentum, & æs Corinthium: de quibus poſtea conſtructum eſt templum Dei. In Corintho fuit olim templum idolorũ cum infinitis idolis ex ære, argento, & auro. Quo ab Annibale combuſto metalla fluxerunt & commixta ſunt: & quia maior pars ærea erat, talis commixtio vocata eſt æs Corinthium. De tali ære Salomon fecit mare æneum, columnas & altare. Habuit Dauid ſecum triginta fortes, & tres fortiores, atq; tres fortiſſimos: ipſe tamen fortior & inſignior omnibus erat. Tres fortiſſimi fuerunt primus Lesboam, qui à Ioſepho Euſebius dicitur, ſecundus Eleazar filius patrui Dauid. Tertius Semnaa Ararites, quem Ioſephus Semeiaam vocat. Poſt iſtos fuerunt tres, ſcilicet Abiſai, Banaias, & Sobocay. Cõpoſuit Dauid cum pace frueretur cantica & hymnos alios trimetros, alios quinque metros, adinueniens violam, nablum, pſalterium & alia muſica inſtrumenta: in quibus Leuitæ per ſolennitates hymnos dicerent Deo. Eſt autem pſalterium canora cithara decem chordis coaptata, quæ plectro percutitur, nablum vero duodecim ſonos habens digitis tangitur. Nocent Principes & Prælati, qui cum pace fruuntur, venationibus & vanitatibus intendunt. Hoc tempore Carthago incæpta eſt à Carchedone Tyrio, & filia eius Didone conſummata. Quintus Latinorum Rex Syluius Latinus regnat. prophetantibus Gad, Nathan, & Aſaph. Codrus Athenienſium Rex ſponte pro ſalute patriæ hoſtibus ſe offerens interimitur. Salomon regnauit annis quadraginta, & vixit annis quinquaginta duobus. Quod autem legitur, quod ſenuerit, poteſt intelligi, quod propter nimium concubitum mulierum debilitatus anticipatam habuit ſenectutem. Tamen vt dicit Ioſephus octuaginta quatuor annis vixit. Fecit Salomon ob honorem patris iuxta ſepulchrum eius opere mechanico octo ſubterraneos loculos theſaurorũ. Duxit vxorẽ filiam Pharaonis Regis Ægypti: de qua, vt fertur, genuit filium quaſi contra naturam, cum ipſe adhuc eſſet vndecim annorũ. Ante quatuordecimum annum viri & duodecimum fæminæ generare non conſueuerunt. Quarto anno regni ſui cæpit ædificare templum domino: quod octo annis cõſummauit, vt dicit Ioſephus. Poſuit Salomon lapides grandes de marmore candido, quod parium dicitur, in fundamento templi habentes viginti cubitos in longitudine,

& decem

& decem in latitudine, & in altitudine quinque. Lapides & ligna extra ciuitatem dolabantur: vnde malleus, ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo domini cum ædificaretur. Fertur tamen quod habuit Salomon ſanguinem vermiculi, qui Thamir dicitur, quo dura marmora facile ſecabantur. quem inuenit hoc modo. Erat ei ſtruthio habens pullum; quem iubente Salomone ſub vaſe vitreo ſapientes eius incluſerunt. Quem cum videns ſtruthio habere nequiret, tulit vermiculum de deſerto: cuius ſanguine liniuit vitrum, & fractum eſt. Iſto ſanguine operarii ligna & lapides facillime incidebant: & clauos eum quodam glutino figebant. Tanta fuit gloria Salomonis, quod ante fores domorum in Hieruſalem plurima ſedilia argentea fierent. Ad operum eius incredibilem opinionem Regina Sabba regiæ ciuitatis Æthiopæ venit videre Salomonem: & admirans prudentiam & diſpoſitionem gloriæ Salomonis dedit illi gemmas pretioſas, aurum, aromata infinita, & etiam radicem balſami: vnde propagatæ ſunt in Engadi vineæ balſamitæ. Quæ cum reuerteretur multis donata muneribus Salomonis, fertur ſcripſiſſe illi, quod in domo † ſalutis lignum quod- *ſaltus* dam opertum auro viderat, in quo ſuſpendendus erat quidam cæleſtis propheta, pro cuius morte regnum Iudæorum periret: & certis illud indiciis ſcripturarum declarauit Regi. Timens autem Salomon diſcindere lignum, eo quod Rex Dauid in magna illud habuerat reuerentia, in profundiſſimis terræ viſceribus occultauit illud. tempore autem Chriſti in probatica piſcina ſupernatauit: quod lignum dominicæ crucis creditur fuiſſe. Hæc Regina Sibylla dicta eſt: quia ſapientes fœminæ hoc nomine antiquitus dicebantur. His diebus fuit Rex ſextus Latinorum Syluius Alba Syluii Æneæ filius.

Roboam regnauit annis decem & ſeptem. Regnum Iſrael à Iuda diuiditur. Fertur tempore huius auem nō volaſſe ſuper Hieruſalem, & fere deſperaſſe Iudæos. Hoc tempore Latinorum Rex fuit ſeptimus Syluius Athys ſiue Ægyptus: & Reges in Samaria haberi cæperunt. Abia annis tribus. ſub quo Hebræorum Pontifex Maximus Abimelech inſignis eſt habitus. Aſa annis quadraginta vno. Prophetæ in Iudæa Aggæus, Zacharias, Micheas, Amos, Ioel, & Iehu. Tunc fuit octauus Rex Latinorum Syluius Capis. Ioſaphat annis viginti quinque. Prophetæ Helias, Abdias, & Micheas. Nonus Latinorum Rex fuit Syluius Carpentus. Decimus Syluius Tiberinus, à quo fluuius dictus eſt Tiberis, qui prius Albula dicebatur. Vndecimus Syluius Agrippa. Ioram annis octo. Hic accepit vxorem Athaliam filiam Achab & Iezabel. Prophetæ Helias, Heliſæus, & Abdias. Helias erat vir piloſus, ſicut fuerat Eſau: vnde in bona ſignificatione & in mala inuenitur piloſus. Heliæ ſeptem inſignia miracula prædicantur. Ochozias anno vno. Helias rapitur. Athalia regnauit annis ſeptem. Hæc interfecit omne ſemen Regis Dauid quod reperit, male ſeducta vt ipſa ſola regno potiretur. Ionadab filius Recab ſacerdos clarus habetur. & Iorada Pontifex, qui ſolus poſt Moyſem vixiſſe annis centum triginta perhibetur.

Ioas regnauit annis quadraginta. Hic cum argueretur à Zacharia filio Ioiadæ, fecit eum obrui lapidibus inter templum & altare: & omnes filii eius cum eo lapidati ſunt, præter vnum poſtumum, qui poſt eum dictus eſt Zacharias. Ex tunc, vt fertur, non accepit populus reſponſum in templo manifeſte ſicut prius, nec ex Dabir, id eſt rationali, nec ex Ephod. Heliſæus moritur, cuius virtutes quatuordecim prædicantur. Lycurgus Legiſlator Apollinis apud Græciam inſignis habetur. Rex Latinorum duodecimus Syluius Aremulus, qui præſidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma eſt, poſuit. Huius filius fuit Iulius proauus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundauit Iuliam gentem. Amaſias annis viginti nouem. Carthaginem hoc tempore quidam aſſerunt conditam, alii vt ſuperius: iſto autem tempore fuit innouata & ampliata. Rex Latinorum tredecimus Syluius Auentinus regnat: & in eo monte, qui nunc pars vrbis eſt, mortuus & ſepultus æternum loco vocabulum dedit. † Azarias annis quinquaginta duobus. Olympias *Ozias* primum à Græcis inſtituitur. Agnus in Græcia loquitur. Sardanapalus Rex vltimus monachus Aſſyriorum, victus ab Arbace Medo ſponte ſemetipſum concremauit: & tunc Arbaces monarchiam Aſſyriorum ad Medos transtulit. Simile poſtea fecit Darius acciſo Balthaſſar. Fuerunt tamen Reges Aſſyrii ſi non à Deo monarchi, tamen potentes vſque ad ſubuerſionem Niniuæ. Lacedæmoniorum Reges deficiunt. Tunc Heſiodus poeta claruit: atq; Phidon Argiuus pondera & menſuras reperit, Oſee, Amos, Iſaia, & Iona prophetantibus in Iudæa. Tamen ſecundum quoſdam Ionas tempore Ieroboan Regis Iſrael prophetauit. Hic euerſionem Ni-

pluuiæ prædixit: quæ multo poſt tempore impleta eſt. Nam inundatione fluminis, pluuiarum, atque ictibus fulminum & terræmotuum ſubuerſa fuit, cum ciuium iniquitas abundaret: vnde videtur quod dilata eſt Dei ſententia non deleta. Rex Latinorum quatuordecimus Syluius Amulius. Hoc tempore aſcendit Phul Rex Aſſyriorum in Therſan: & dedit ei Manahem Rex Iſrael pecuniam multam vt recederet ab eo. Fertur etiam quod promiſit ei vitulos aureos, qui erant in Dan & in Bethel, vt eſſet ſibi in auxilium. Sacerdotes autem abſconderunt vitulos aureos, & fecerunt æreos deauratos: quos miſit Manahem Regi Aſſyriorum. Qua fraude poſtea percepta Rex Aſſyriorum nimium exarſit contra Iſrael. Vnde aſcendit Phul qui & Theglatphalſar dicitur, in terram Iſrael: & vaſtauit omnem regionem trans Iordanem: & captiuauit duas tribus & dimidiam, ſcilicet, tribum Rubem, & Gath, & dimidiam Manaſſe. Ex quibus tamen tribubus in poſſeſſione ſua Iudæi aliqui remanſerunt: vaſtans quoq; Galilæam de tribu Zabulon & Neptalin multos tranſtulit in Aſſyrios qui poſſent dimidiæ tribui comparari: vnde ſæpe reperitur quod tres tribus captiuauit. Hoc fuit initium captiuitatis decem tribuum Iſrael.

Ioathan annis ſedecim. Romulus & Remus gemelli & ex patre Marte & matre Ilia naſcuntur. Qui à lupa nutriti feruntur, quæ creditur fuiſſe meretrix quæ proſtitutione ſua multos occidebat. Tamen potuit eſſe vt Deus à lupa illos expoſitos vellet nutriri, per quos ciuitas ſancta Roma habebat fundari. Prophetabant in Iudæa Oſee, Ioel, Iſaias, & Micheas.

Achaz annis ſedecim. Roma à Romulo & Remo conditur in monte Palatino Olympiade quinta. Olympias vocabatur ludus qui fiebat in quinto anno quatuor mediis annis vacantibus. Et ob hoc Elidum certaminis tempus Olympiadem vocauerunt quadriennio ſub vna Olympiade ſupputato: & dicebatur Olympias ab Olympo monte. Tunc temporis Senacherib Rex Aſſyriorum ſeptem tribus captiuauit: & & iuxta flumen Gozam vltra montes Medorum & Perſarum, vbi erat prima trium tribuum captiuitas, eos habitare fecit: & Samaritas accolas in terram Iſrael miſit. Huius tempore Tobiæ hiſtoria incepta eſt. Anno ab vrbe condita tertio Remus raſtro paſtorali occiſus eſt à Fabio duce Romuli. Conſualibus ludis Sabinæ raptæ ſunt: & pulcherrima fęminarum data eſt Thalamoni duci Romuli: vnde, quia bene ceſſit illi, locus nuptiarum exinde dictus eſt Thalamus. Ezechias regnauit annis viginti nouem ſuper tribum Iuda, Beniamin & dimidiam Manaſſe. Hoc tempore Romulus milites ex populo ſumpſit ſcilicet, ex mille vnum: qui ſub Tatio Rege Sabinorum Romulo fauebāt quos Quirites appellauit. Ex populo centum nobiliſſimos viros elegit, qui ob curā ac ſolicitudinem reipublicæ patres vocati ſunt & ob ætatem ſenes. Romulus apud paludem Capreæ nuſquam comparuit: ob quam cauſam deificatus eſt, & ſuadente Lucio Quirini nomine conſecratus. Poſt Romulum prædicti ſenes ſinguli per quinos dies rempublicam rexerunt per annum fere & dimidium. Quod tempus interregnum appellatur. Tunc in Sicilia Syracuſa & Catina conditę ſunt. Poſt Romulum Numa Pompilius regnauit: qui prædictos ſenes ſenatores appellauit. Hic primus congiarium militibus dedit, id eſt, imperialem largitionem in ſui promotione. Qui & primus Pōtifex, & & veſtales virgines inſtituit: falſorumq; deorum numeroſitate vrbem impleuit. De Achaz patre peſſimo ortus eſt optimus Ezechias.

Manaſſes annis quinquaginta quinq;: qui malum habuit principium, finem bonum. Numa Pompilius duos menſes, ſcilicet, Ianuarium & Februarium decem menſibus anni adiecit; Ianuarium diis ſuperioribus, Februarium inferis dedicauit, & Capitolii fundamenta iecit. Sibylla Erophila claruit in Samo, vnde & Samia dicta eſt. Partheni Tarentum condiderunt. Glaucus de Choo primus ferri glutinum excogitauit. Amon annis duobus poſt mortem patris, qui decem annis regnauerat, vt fertur viuente patre. Tertius Romanorum Rex Tullus Hoſtilius. Hic primus Regum Romanorum purpura & faſcibus vſus eſt: priorque in Rep. cenſum exegit: quod adhuc per orbem terrarum incognitum erat. hic poſt longam pacem bella reparauit. Albanos vigentes vicit. adiecto monte Cælio ampliauit vrbē: & tandem cum domo ſua fulmine conflagrauit. Ioſias regnauit annis triginta † duobus. Quartus Romanorū Rex Ancus Martius Numæ nepos ex filia Auentinum montem & Ianiculum Vrbi addidit: ſupra mare Hoſtiam condidit. Oraculo Dodonæo primo Græcia vſa eſt. Quintus Romanorum Rex Tarquinius Priſcus: qui muros Romæ, cloacas, id eſt, occultos meatus, Capitoliū, & circum extruxit, & ludos Romanos inſtituit. Arion à delphino in Tenarū dicitur deportatus. Thales Mileſius philoſophus claruit, qui defectib.

*vno*

Solis

Solis acutiſſima perſecutione comprehenſis Aſtrologiæ numerum primus inueſtigauit. prophetantibus in Iudæa Hieremia & Sophonia. Reliquit autem Ioſias tres filios, Eliachim, qui & Iechonias, primogenitum quindecim annorum, Ioachaz, qui & Sellum dictus eſt, & tertium Mathaniam. Tulit ergo populus Sellum, & conſtituit eum Regem pro patre ſuo, & regnauit tantum tribus menſibus: quia Rex Ægypti veniens in Hieruſalem amouit eum, & conſtituit Ioachim Regem pro eo.

Ioachim annis vndecim. Huius anno tertio Nabuchodonoſor Iudæam captam tributariam fecit. Duxerat namq; Sellum in dolo ſub ſpe honorandi eum in Ægypto; & cum veniſſet in Reblatha vinxit eum, & ligatum miſit in carcerem. Tunc Daniel, Ananias, Azarias, & Miſael in Babylone claruerunt. Quos Nabuchodonoſor obſides, quia erant de ſemine regio, cum aliis nobilibus Iudæis traxit in Babylonē. Ioachim autem Rex Babylonis ſibi repugnare volentē Hieruſalem veniens dolo cepit & occidit, & extra muros inſepultum proiici iuſſit. & inuenta ſunt ſtigmata, id eſt, vſtiones in corpore occiſi more gentiliū, & nomen idoli, quod colebat Nabuchodonoſor. Et cōſtituit Nabuchodonoſor filium eius Ioachim Regem pro eo æquiuocum patri. Qui regnauit tribus menſib. & decē diebus. Cumq; receſſiſſet Nabuchodonoſor, timuit ne Ioachim memor mortis paternæ adhæreret Ægyptiis & pugnaret aduerſus eum: ideo rediit & obſedit Hieruſalē. Sed egreſſus eſt ad eum Ioachim cum matre & cum principib. ſuis, & cum omnib. viris robuſtis circiter duo millia, & cum omni familia ſua: inter quos erat Mardochæus & Ezechiel propheta cum aliis multis. Rex Nabuchodonoſor tranſtulit eos in Babylonē cum omnib. vaſis & theſauris domus domini, & domus regiæ. Et cōſtituit patruū Ioachim, ſcil. Mathaniā Regē pro eo, quem Sedechiā vocauit. Timuit Nabuchodonoſor ne reuerteretur Ioachim in Iudæā, & incarcerauit eū. Iſti quia ſpōte ſe tradiderunt, proprie dicti ſunt tranſmigratio Iudæ. Alii vero qui poſtea per violentiā traducti ſunt, dicūtur captiuitas Iudæ. Ab hac tranſmigratione, ſcilicet, ab anno nono regni Nabuchodonoſor quidam inchoant numerare ſeptuaginta annos captiuitatis.

Sedechias annis vndecim. Hunc Rex Babylonis veniens Hieruſalem cum populo captiuum duxit: & templum incenſum eſt anno ædificationis ſuæ CCCCLIV. dum Nabuzardan princeps coquorum ex præcepto Nabuchodonoſor vellet transferre omne aurum & argentum, quod erat in ædificiis templi, fecit puteum in medio templi: & ipſum templum impleuit lignis, ſtipula, & pice, & appoſuit ignē: vbi tanta fuit vis flammæ, vt omnino lapides, aurum, & argentum diſſoluerentur: & cum decurrerent metalla per præparatos riuulos ad prædictum puteum, diſruptus eſt puteus fere vſque ad abyſſum: ita quod de metallis templi ne modicum quidem potuit inueniri. Per idem tempus Sapho mulier diuerſo poemate in Græcia claruit. Solon Athenienſibus Leges dedit. Rex Romanorum Sextus Seruius, nobilis captiuę filius, qui tres montes Vrbi addidit Quirinalem, Viminalem, & Eſculum. foſſas circa muros duxit: & ſtatuit primus, vt Romani ciues exigerent cenſum per ſubditas regiones. Tandem occiſus eſt à Tarquinio ſuperbo Priſci Tarquinii filio. Eodem tempore apud Græcos ſeptem Muſæ, id eſt, ſeptem ſapientes ſunt appellati. Nabuchodonoſor cum intraſſet Babylonem poſt triumphum, victimas ſolennes immolauit diis ſuis. Et cum recumberet poſt ſolennitatem vndecim dierum exhilaratus cum Principibus ſuis præcepit vt adduceretur Sedechias in medium & aliqui de cantoribus templi cum eo qui pſallerent coram eo in muſicis inſtrumentis, & canerent hymnos de canticis Sion. Bibebant conuiuæ in vaſis domus domini: quorum Nabuchodonoſor quædam conſecrauit idolis, & quædam retinuit ſibi. Cumq; darent pſallentib. potum, præcepit Rex vt ſecreto daretur Sedechię potus laxatiuus: & coram omnibus ignominioſe laxatus eſt: & rurſum reduxerunt eū in carcerem. Qui nimio afflictus dolore poſt paucos dies mortuus eſt. Rex autem Nabuchodonoſor fecit eum cum honore regio ſepeliri.

Traditur quod Hieremias priuſquam templum ſuccenderetur, tulit arcam teſtamenti cum iis quæ erant in ea, & detulit eam inter duos montes, in quibus fuerunt ſepulti Moyſes & Aaron, & in quodam ſpecu miſit, & os ſpeluncæ magno lapide clauſit: atq; in ipſa petra Dei nomen impreſſit: & factum eſt ſigillum in ſimilitudine ſculpturæ, quæ ferro cauatur. Et nubes operuit locū, ita vt nullus poſſet agnoſcere eum. Illic tamē ſæpe nubes vt ignis fit nocturno tempore, eo quod à ſua lege Dei gloria non recedat. Reliquerat Rex Nabuchodonoſor de pauperibus terræ filios Iſrael vt colerent terrā. Qui ducentes ſecum Hieremiam & Baruch fugerunt in Ægyptum. Cumq; redarguerent eos Hieremias, quod ſacrificabant diis alienis lapidauerunt eum: Ægyptii vero honorauerunt prophetam ſepelientes eum in ſepultura Regum memores beneficiorum,

quæ præſtiterat Ægypto. Oratione namq; ſua fugauerat aſpides & crocodilos, quibus Ægyptus prius infeſtabatur. Poſt hæc anno quinto euerſionis Hieruſalem deſcendit Nabuchodonoſor in Ægyptum,& ſubuertit eam. Denuo Iudæos, quos ibi reperit, captiuos duxit in Babylonem. Ab hac vltima captiuitate reliquiarum Iuda, quidam numerant ſeptuaginta annos, vſque ad ſecundum annum Darii filii Hiſtaſpis. Tres enim fuerunt captiuitates. Prima fuit productionis manifeſtæ: quæ incepit quartodecimo anno regni Ioſiæ Regis iuſti,& durauit vſq; ad primum annum Regis Cyri. Secunda incepit anno tertio Regis Ioachim, quæ fuit afflictionis, & durauit vſq; ad viceſimum annum Cyri. Tertia incepit vltimo anno Sedechiæ, quæ fuit deſolationis & durauit vſque ad ſecundum annum Darii filii Hiſtaſpis. Tamen magis videtur quod ſeptuageſimus annus à deſtructione templi vſq; ad perfectam reſtaurandi licentiam ſit computandus.

## *Quinta ætas ſeculi.*

QVINTA ætas à tranſmigratione Babylonis vſq; ad Chriſtum, quam Matthęus per generationes exequitur; quia in progenitoribus quis quot annis vixerit, non facile noſcitur, vt pote in captiuitate conſtitutis. Ideo melius numerus annorum ætatis huius vſque ad Chriſtum per hiſtorias gentium cognoſcitur adhibendus. Tamen ſciendum quod ſcriptura ſacra, ſi pauci menſes vel dies ſolido annorum numero ſuperfuerint, in annorum numeris putandis eos ponere minime conſueuit. Item ſi pauci defuerint pro ſolido per ſynecdochen computantur, partem anni plerunq; ponendo pro toto. Quod in hoc opere factum pluries reperitur. Item vnus & idem Rex patri conregnauit. prius regnare cæpit: qui poſtea fuit illius vel alterius regni maiori gloria decoratus. Quare quidam computant à principio regni eius & alii à ſublimatione maiori: vnde videtur in ſcripturis ſæpe diſcordantia ſuboriri. Quod prudens & ſedulus lector clare aduertere poteſt.

| | | |
|---|---|---|
| | Anni ab orbe c. | Hebræorum captiuitas annis LXX. |
| | 4810. | Darius annis XXXIIII. |
| | | Xerxes annis viginti. |
| | | Artaxerxes annis quadraginta. |
| | | Darius, qui & Nothus annis decem & nouem. |
| | | Artaxerxes annis quadraginta. |
| | | Artaxerxes annis viginti ſex. |
| | | Arſes annis quatuor. |
| | | Darius annis ſex. |
| | | Alexander annis quinque. |
| | | Ptolemæus annis quadraginta. |
| | | Philadelphus annis triginta octo. |
| | | Euergetes annis viginti ſex. |
| | | Philopator annis decem & ſeptem. |
| | | Epiphanes annis viginti quatuor. |
| xxv. | | Philometor annis † triginta quinque. |
| | | Euergetes annis viginti nouem. |
| | | Soter annis decem & ſeptem. |
| | | Alexander annis decem. |
| | | Ptolemæus annis octo. |
| | | Dionyſius annis triginta. |
| | | Cleopatra annis duobus. |
| *quatuor* | | Iulius Cæſar annis † quinque. |
| | 5327. | Octauianus Auguſtus vſque ad natiuitatem Chriſti annis quadraginta duobus. |

Hebræorum captiuitas annis ſeptuaginta permanſit: in quibus ignis ab altari Dei ſubtractus & abſconditus in puteo poſt ſeptuageſimum regreſſionis annum aſſumitur inuentus viuus. Annus ſeptuageſimus à deſtructione templi vſque ad perfectam reſtaurandi licentiam eſt computandus. Nabuchodonoſor elatus ſuperbia, & non cognoſcens Deum, vt debuit poſt reuelationes ſomniorum, quæ vidit, ab hominibus eſt electus, & fænum vt bos comedit. Mutatus eſt non corporis mutatione, ſed alienatione mentis, & videbatur ei, quod eſſet bos in anterioribus, & in poſterioribus Leo, quia in prima ætate voluptuoſus fuit, & ceruicoſus, & in fine multos interfecit: & nullus Regum

gum ei reſiſtere potuit. Daniel autem orauit dominum, & obtinuit, vt ſeptem menſes verterentur. In quibus quadraginta diebus inſaniam patiebatur, & per alos quadraginta ad cor hominis vertebatur, donec ſeptem menſes complerentur. Poſt quos reuocatus eſt: non tamen ſtatim regnauit, ſed ſtatuti ſunt pro eo ſeptem iudices, & vſq; ad finem ſeptem annorum pœnitentiam egit panem & carnes non comedens & vinũ non bibens iuxta conſilium Danielis. Et cum iterum regnaſſet, voluit Danielem cohęredem facere filiorum: & Daniel noluit.

Euilmerodach autem filius Nabuchodonoſor, cum pater inſaniam pateretur, multa mala geſſit in terra: vnde Nabuchodonoſor reſtitutus regno miſit eũ in carcerẽ, vbi erat Ioachim Rex Iuda. Dilexit autem Euilmerodach Ioachim valde, & pepigit cum eo amicitiarum fædus. Poſt hæc mortuus eſt Rex magnus, Nabuchodonoſor vocabatur, qui de ſpoliis hoſtium templum Beli in Babylonia magnifice decorauit. ciuitatem reparans, ita vt fere nequaquam obſidentes valerent flumen auertere, paternis munitionibus multo maiora addidit. Sepulchrum patris mirabili opere decorauit: & in dieb. quindecim miranda ædificia conſummauit. Detulit etiam lapides grandes: ex quibus fecit inſtar montis ædificium magnum, & ſuperplantauit arbores, & hortum, qui ſuſpenſus dicebatur, eo quod vxor eius, quæ in finibus Medię nutrita fuerat, regionẽ ſuam à longe videre deſiderabat. Aſſerunt quidam eum fortitudine & operum magnitudine Herculem tranſcendiſſe. Tamen obſedit fortiſſimam ciuitatẽ Tyrum trib. annis & decem menſibus, & non cepit eam. Mortuus eſt eo tempore Rex Nabuchodonoſor: & regnauit Euilmerodach filius eius pro eo. Hic duxit vxorem fratris ſui: ex qua genuit Egeaſar, Loboſardach, & Balthaſar. Euilmerodach anno primo regni ſui eleuauit Ioachim Regem Iuda de carcere: & poſuit thronum eius ſuper thronum Regũ qui erant cum eo in Babylone. Et timens ne reſurgeret pater ſuus qui de beſtia reſurrexerat in hominẽ, & quia ſepulchrum eius aliquando moueri videbatur, conſuluit Ioachim: ad cuius conſilium patrem ſecreto extumulauit, & cor atq; cadauer eius in trecentas partes diuiſit & dedit eas trecentis vulturibus comedendas. Et ait ad eum Ioachim: Non reſurget, inquit, pater tuus niſi redeant vultures in vnum quos euolare feciſti. Mortuus eſt Euilmerodach, & regnauit Egeaſar filius eius pro eo. Cui ſucceſſit Laborſardach frater eius. Iſto defuncto ad Balthaſar fratrem eius tranſiit imperium. Sub iſtis ſex Regibus expleti ſunt ſeptuaginta anni captiuitatis Iudæorum: quæ primo anno Cyri Regis Perſarum laxata eſt.

Darii filia fuit mater Balthaſar: pro qua factus eſt hortus ſuſpenſilis: & quia Balthaſar filium non habebat, feſtinabat Darius occupare regnum. Similiter Cyrus erat nepos Darii filius ſororis Balthaſar: per quam idem Balthaſar adeptus eſt Babyloniæ regnum. Petebat Cyrus ab Balthaſar partem eiuſdem regni: & ille contempſit eum habere conſortem: vnde Cyrus Rex Perſarum congregato exercitu cum Dario auunculo ſuo Rege Medorum Aſſyrios & Babyloniam petit bello vendicaturus regnum Balthaſar. Scindens autem primo impetum fluminis Tigris ſecundæ poſt Euphratem magnitudinis, ipſum flumen per magnas conciſum deductumq; foſſas in trecentos ſexaginta alueos comminuit: & alueum ad ſiccum vſq; perduxit. Eo prædoctis opere foſſoribus etiam Euphratem longe validiſſimum fluuium per mediam Babyloniam interfluentem multis foſſis deriuauit: ac ſic meabilibus vadis eo diminuto exercitib. ſuis iter ſiccum aperuit. Intrauerunt igitur hoſtes: & capta eſt vrbs tunc longe cunctis glorioſior & opulentior: quam humano opere poſſe extrui vel humana virtute capi vel deſtrui poſſe, fere apud mortales incredibile videbatur. Ipſa nocte Balthaſar viderat manum ſcribentem contra ſe in pariete: & eadem nocte interfectus eſt à Chaldæis.

Darius regnauit annis triginta quatuor. Huius anno ſecundo Iudæorum eſt captiuitas reſoluta. Cyrus enim tanquam maiori in omnibus deferebat. Nempe Babylonia à Nembrot gigante fundata, à Semiramide Regina reparata delitiis & fortitudine abundabat. Hæc campi planicie vndique conſpicua, natura loci lætiſſima, caſtrorum altitudine mirifice decorata, mænibus paribus per quadrum pulchre diſpoſita, firmitas & magnitudo murorum eius vix relatu credibilis, habens in latitudine cubitos centum quinquaginta & altitudine ſexcentos ab hoſtium cunctorum incurſibus ſecura videbatur. Ceterum ambitus eius quadringentis octoginta ſtadiis † circumuenitur. Ipſa autem latitudo murorum in conſummatione pinnarum, vtroque latere habitaculis æque diſpoſitis media intercapedine ſui iunctas quadrigas capit. Murus coctili latere atq; interfuſo bitumine erat compactus.

circumuenitur.

Foſſa extrinſecus late patens vndique vice amnis circumfluit. In fronte autem murorum erant centum portæ æreæ nimiæ magnitudinis. Et tamen Babylon illa à Deo fortis & magna minima mora victa & capta ſubuerſa eſt. Cyrus poſtquam Babyloniam vt hoſtis inuaſit vt victor euertit, vt Rex diſpoſuit, bellum tranſtulit in † Libyam.

† Lidiam.

Tenuit Darius anno primo monarchiam ſibi exhibente obedientiam Cyro: ſecundo vero anno conſtituit Cyrum monarcham, quia eum ſuper ſalutem propriam diligebat. Vnde Cyri monarchiæ anno primo ſuſcitauit Deus ſpiritum eius, & dedit libertatem omnibus Iudæis, qui erant in regno ſuo, & licentiam redeundi in Iudæam, & ædificandi domum domini. Cumque Iudæi inciperēt ædificare, Samaritæ inuidentes impediebant eos. Et cum non poſſent eos impedire per ſe, dederunt munera Principibus Regis Perſarum, qui erant poſiti ſuper terram, vt eos impedirent. Vnde factum eſt vt ignorante Cyro adeo impedierint eos, quod in triginta annis, in quibus Cyrus regnauit, non erexerunt muros templi niſi vſque ad apodationem. Porro Cyrus cum percuſſiſſet Creſum iuxta fluuium Halim, gentem Lydorum bellicoſiſſimam aſtute redegit in ſocordiam: tradidit enim illis ſollemnitates & ludos, præcipiens eis vt luſibus, comeſationibus & amplexibus vacarent quaſi beneuolentiam in eis oſtendens: & in hunc modum eos eneruauit: & quos bello non poterat, per libidinem expugnauit. Poſtea vero miſit nuntios ad Thomirim Reginam Maſagetarum, vt eum acciperet in coniugem. Quæ cum nollet ab exercitu Thomiris Cyrus bello victus eſt & occiſus. Quæ caput illius præciſum in vtrem plenum ſanguine humano proiiciens inſultando dixit: ſatia te ſanguine quem ſitiſti.

In diebus Cyri ſeptimus Rex Romanorum Tarquinius ſuperbus à regno eſt expulſus & merito, quia vrbem velut Rex premebat, velut exactor ſeruitiis perurgebat, velut hoſtis bellis & ſeditionibus regnum euertebat, & crudelitate Tarquiniorum, quos ſecum habebat, deuaſtabat Romam. Hic excogitauit diuerſa genera tormentorum ſcilicet, vincula taurea, fuſtes, latumias, carceres, compedes, catenas, & exilia. Cauſa etiam Tarquinii iunioris filii ſui, qui Lucretiam nobilem matronam corruperat, omnibus erat odioſus. Poſt hunc Romani ſibi conſules præfecerunt, & leges ſtatuerunt vſque ad Iulium Cæſarem. Sicque factum eſt, vt cadente Babylonia ſurgeret Roma. Babylon namque à Cyro Rege Perſarum eſt ſubuerſa & Roma eo tempore à peſtifera Tarquiniorum Regum dominatione eſt liberata. Siquidem cecidit orientis regnum, & ortum eſt imperium occidentis. Et per quatuor mundi partes quatuor regnorum principatus eminentes extitiſſe noſcuntur. Babylonium regnum ab oriente, Carthaginenſe à meridie, Macedonicum à ſeptentrione, ab occidente vero viguit Romanum imperium. Primus conſul Romanorum Brutus fuit vix tenente Roma imperium vſque ad quintumdecimum miliarium: quamuis quædam aliæ regiones ſibi iam fauorem & ſeruitium exhiberent propter eius fortitudinem & prudentiam. Inde etiam tribuni plebis & dictatores & rurſum conſules rempublicam rexerunt vſque ad Iulium Cæſarem.

Mortuo Cyro ſucceſſit ei filius eius Cambyſes qui apud Eſdram Artaxerxes vel Aſſuerus dicitur. In hiſtoria vero Iudith Nabuchodonoſor vocatur. Per idem tempus Iudith hiſtoria ſcribitur. Pythagoras quoque Arithmeticæ artis inuentor, atque Xenophanes comœdiarum ſcriptor inſignis habetur. Ieſus ſacerdos magnus, & princeps gentis Zorobabel claruit. Aggæus, Zacharias, & Malachias prophetæ claruerunt. Cambyſes autem ingreſſus Ægyptum vaſtauit eam & condidit Babylonem in Ægypto: cumque reuerteretur ab Ægypto ægrotabat & ferebatur ceruicibus Regum. Et mortuus eſt in Damaſco.

Erant tunc in Perſide ſeptem magi, id eſt, ſeptem ſapientes, & conuenerunt inter ſe vt venirent diluculo in atrium palatii ſuper equos ſoli ante fores templi. Et cuius equus prius hinniret, Rex conſtitueretur. Erat vnus eorum Darius filius Hiſtaſpis: qui ſecrete mandauit cuſtodi equorum ſuorum vt in loco ad quem in craſtinum conuenire debebant, equo ſuo de nocte ſupponeret equam. Quo facto cum in craſtinum ſeptem magi ad dictum locum veniſſent, ſtatim ad equæ memoriam equus Darii hinnitum dedit: & continuo Darius in Regē eſt eleuatus. Erat ei valde familiaris Zorobabel, & obtinuit ab eo anno ſecundo regni ſui conſtructionem templi, & vaſa domini remitti in Hieruſalē. Et conſummatū eſt tēplū quadrageſimo ſexto anno à prima licentia quā dedit Cyrus redeundi & ædificandi templum. Vnde in Euangelio dicitur: quadraginta & ſex annis ædificatū eſt templū hoc. Poſt Dariū Xerxes filius eius regnauit, qui Deū coluit

coluit, & multa glorioſe geſſit. Darius autem magnus filiam Cyri duxerat vxorem ex qua genuit Xerxem, qui regnauit annis viginti. A quo tempore in Iſrael non Reges ſed Principes fuerunt vſque ad Hyrcanum & nepotem eius Ariſtobolum. Tunc temporis Herodotus hiſtoriarum ſcriptor & Xeuſis agnoſcitur pictor, Heſiodus, Pindarus; Sophocles, & Euripides tragœdiarum ſcriptores fulſerunt, Gorgias primus rhetor claruit. Hoc tempore lapis habens formam caprinam in Ægæum mare viſus eſt cecidiſſe de cœlo.

Artaxerxes qui & Longimanus regnauit annis quadraginta. Eſdras ſacerdos legem à Chaldæis ſuccenſam per ſpiritum ſanctum reparauit, & ſcribendi modum & nouos apices litterarum excogitauit, qui faciliores ad ſcribendum fierent & ad pronunciandum. Prius enim arantis more ſcribebant de ſiniſtra in dextram & de dextra in ſiniſtram, vnde ſcribere dicitur exarare. Nehemias muros Hieruſalem reſtaurauit, & dux Iſrael fuit. Ariſtarchus, Ariſtophanes, Sotades tragœdiarum ſcriptores habentur. Hypocras medicus, Socrates philoſophus & Demetrius claruerunt. Darius qui & Nothus annis decem & nouem. Plato philoſophus floruit. Dionyſius in Sicilia tyrãnidem exercuit. Ignis de Æthna vſque ad mare erupit. Ægyptus à Perſis receſſit. Hic fecit vineam auream in qua erant diuerſi generis gemmæ pro racemis pendentes. Artaxerxes qui à Iudæis Aſſuerus dicitur, annis quadraginta. Eſter hiſtoria expletur. Plato quoque & Xenophon claruerunt. Athenienſes viginti quatuor litteris vti cœperunt, cum antea ſedecim ſolummodo vterentur. Senones Galli duce Brenno Romam inuaſerunt & ex ea partem maximam cremauerunt. Romani ſex mẽſibus tribunis militaribus pro cõſulibus vti cœperunt. Obiit Anaxagoras philoſophus & Heraclytus tenebroſus atque Democritus. Socrates venenum bibit & mortuus eſt. Diogenes claruit. Magnus philoſophus Ariſtoteles Hiſpanus natione in Græcia Platonem audiuit: & in multis floruit maxime dialectica & metaphyſica. Artaxerxes annis viginti ſex. Hic Ochus dictus eſt & ciuitate Apodaſmo Iudæorum capta in Hircaniam accolas translatos iuxta mare Caſpium collocauit. Arſes annis quatuor. Demoſthenes primus orator agnoſcitur. Romani Gallos ſuperauerunt. Iudæorum Pontifex maximus Iaddus: cuius frater Manaſſes templum in monte Garizion cõſtruxit ad ſimilitudinem templi Hieruſalem: & multos Iudæorum ſecum aſſociauit. Darius annis ſex. Eodem tempore Manlius Torquatus conſul Romanorum filium ſuum virgis cæſum ſecuri percuſſit, quia contra imperium conſulum cum hoſtibus pugnauit, & tamen vicit eos.

Alexander Macedo annis quinque. Iſte regnauit annis duodecim: ſed illi quinque hic tantummodo computantur quibus Aſiæ monarchiam tenuit ſolus. Fuit filius Philippi Regis Macedonum: qui per inſidias eſt peremptus à Pauſania trahente genus ab Oreſte. Alexander viginti annorum erat cum regnare cœpiſſet: qui volens obtinere Syriam tranſiit Helleſpontum. Et congregati ſunt aduerſus eum duces Darii qui erant trans flumen: & ſuper Granicum fluuium expugnauit eos. Tunc Darius Arſami filius collegit exercitum magnum, & tranſiuit Euphratem, & montes Ciliciæ, ſperans iuxta montem Taurum in Armenia minore Macedones expugnare. Commiſſo autem prælio victus eſt Darius ab exercitu Alexandri: & capta matre eius vxore ac filiis ad Perſas fugit. Alexander autem cepit Damaſcum & ſubiugata Sydone Tyrum obſedit. Et ſcripſit ad Iaddum principem ſacerdotum in Hieruſalem, vt ſibi præberet auxilium & exercitui venalia præpararet & redderet ſibi tributa, quæ prius Dario conferebat. Reſpondit autem Iaddus ſe Dario ſacramenta dediſſe, nec eo viuente poſſe tranſcendere conſtituta. Tunc iratus Alexander valde comminabatur Iudæis, & iniectis aggeribus coæquauit muris ciuitatis, & cepit Tyrum fortiſſimam ciuitatem: quam fortis Rex Nabuchodonoſor fere per quatuor annos obſedit & eam non potuit capere. Deſtructa igitur Tyro & terræ coæquata magnus timor inuaſit omnes orientales qui audierũt. Poſt hæc obſedit Alexander Gazam, & ea capta Hieroſolymam feſtinabat. Timentes autem Iudæi clamauerunt ad dominum, & immolabant hoſtias. Summus ſacerdos Iaddus obtulit ſacrificium. & cũ obdormiſſet admonitus eſt à Deo quid faceret. Et exurgens à ſomno ciuitatem Hieruſalem multis inſigniis ornauit: & ipſe pontificalibus indutus, & reliqui ſacerdotes cum eo ſtolis legitimis decorati venienti Alexandro obuiã extra ciuitatem proceſſerunt. Alexander autẽ intuens ſummum Pontificẽ ſacris veſtibus inſignitũ ira mutata in manſuetudinẽ ſtatim de equo deſcendit, & nomen domini quod ſcriptũ erat in lamina aurea, quæ erat in fronte ſacerdotis, adorauit. Interrogatus autem quare ſacerdotem gentis Iudææ adoraſſet, reſpondit:

Non hunc adoraui, ſed Deum cuius principatum ſacerdotii gerit: nam per ſomnium in tali habitu Deum conſpexi, dum eſſem in Macedonia: qui mihi totam Aſiam ſe daturum promiſit. Ingreſſus itaque vrbem Alexander ſecundum iuſſionem ſacerdotis in templo ſacrificium obtulit, & dona multa auri & argenti contulit, & conceſſit Iudæos vbique patriis legibus vti, & ſeptimum annum ſine tributo eſſe propter ſabbathum terræ: atque exinde cum lætitia & deuotione profectus eſt. Cumque veniſſet ad montes Caſpios, miſerunt ad eum filii captiuitatis decem tribuum poſtulantes, vt daret eis licentiam in terram Iſrael reuertendi. Qui cum quæſiſſet captiuitatis cauſam, accepit eos adeo Iſrael receſſiſſe idolis & vitulis aureis immolando. Tunc reſpondit quod arctius includeret eos: cumque anguſta viarum loca obſtrueret molibus bituminatis terra ſubito tremuit, & fulgur cecidit, & præciſis rupibus maxima montium pars corruit & loca meabilia obſtruxit. Rex autem Alexander interfecit Darium Regē Perſarum & Regem Porū: qui fecerat vitem magnā ex auro: vbi erāt quaſi racemi omnium lapidum pretioſorum inæſtimabilis pretii. Accepit aurum & lapides Alexander & diuiſit exercitibus ſuis. Et cum poſt multos triumphos totius Aſiæ monarchiā obtinuiſſet, poſuit in Lybia Gades, id eſt, columnas æreas & marmoreas & arcum triumphalem. Reuertens autē in Babylonem ſumpto veneno vſum linguæ amiſit: & extremam voluptatem ſuam ſcripto expreſſit. Noluit monarchiam ſuam in aliquem transferre ne aliquis par ei potentia apud poſteros legeretur. Duodecim quos ab adoleſcentia ſocios habuerat regni ſucceſſores inſtituit. Hæc autem inſtitutio nō ſtetit: nam quatuor ex his abiectis aliis regnauerunt. Fertur etiā duodecim Alexandrias cōdidiſſe per numerum annorum quibus regnauerat: in Lybia quoque Aretho condidit ad indiciū virtutis ſuæ. Tunc regnū Perſarum deletū eſt. Poſt mortē Alexandri regnū eius diuiſum eſt ſecundū Danielis prophetiā in quatuor ventos cœli. In Ægypto enim quæ eſt ad meridiem primus regnauit Ptolemęus, qui Soter eſt cognominatus filius Lagi: à quo ſequētes Reges Ægypti Ptolemæi dicti ſunt. In Macedonia Philippus, qui & Arideus, frater Alexandri, quæ eſt ad occidentē Syriæ & Babyloniæ & ſuperioribus locis, quæ ſunt ad ad orientem, Seleucus Nicanor imperauit Aſiæ & Ponto & ceteris in eadem plaga prouinciis, Antigonus imperauit ad ſeptentrionem.

Poſt Alexandrum in Syria regnauit Seleucus. Poſt Seleucum Antiochus Soter: à quo ſucceſſores Reges Antiochi dicti ſunt. Poſt Antiochus Theos. Poſt Antiochus Galeritus. Poſt Antiochus Magnus. Poſt Antiochus Epiphanes. Hic cum eſſet Romæ pro patre obſes, mortuo patre clam reuerſus in Syriam exhibuit ſe benignum omnibus & munificum. Strenuus erat in agendis & acer in hoſtes: vnde à populo cognominatus eſt Epiphanes, quod ſonat illuſtris. Qui cum ſibi regnum adeptus eſſet, aperuit malitiam inſitam ſibi, & erexit ſe impius contra Deum. Hic enim Hieruſalem dolo inuaſit, & templum expoliauit, Ephebiam, id eſt, Lupanar epheborum in Hieruſalem conſtituit, leges Dei abſtulit, cunctos ſibi ſubditos in idolatriam impulit, & ſummum ſacerdotium impiiſſimo Iaſoni vendidit. Ob quam cauſam ignis ſacrificii, qui per ſeptuaginta annos Babylonicæ captiuitatis & etiam amplius in puteo ſub aquis vixerat extinctus eſt ſuper altare, quamuis lignorum fomite nutriretur. Vnde notādum quam inæſtimabile malum ſit apud Deum vitium ſimoniæ.

Ptolemæus Soter poſt Alexandrum regnauit in Ægypto annis quadraginta. Hic in Iudæam ſub ſpecie ſacrificandi Deo Hieruſalem veniens die ſabbathi multos Iudæorum cepit: & tam de Iudæa quam de Garizim captiuos trahens ad Ægyptum rediit & venditioni expoſuit: vnde à negotiatoribus nationum per multas regiones diſtracti ſunt & diſperſi. Inde eſt quod in actibus Apoſtolorum legitur: quod erant habitantes in Hieruſalem Iudæi viri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Tunc liber primus Macchabæorū incepit. Menander Comicus, & Zenon & Theophraſtus philoſophi claruerunt. Eo tempore Apius Claudus Cæcus Romæ claruit: qui aquas Claudias induxit, & viam Apiam lapidibus nigris ſtrauit. Cenſu Romæ agitato inuenta ſunt ciuium ducenta ſeptuaginta millia: quoniam ſingula capita ciuium dederunt nomen vt certus numerus haberetur. Conditæ ſunt à Romanis Ariminum & Beneuentum.

Ptolemæus Philadelphus annis triginta octo. Hic nutu Dei dedit edictum, vt omnes Iudæi qui erant ſub eius ditione, haberent licentiam in terram ſuam redeundi, & obſeruandi legem Dei. Miſit etiam munera ad Eleazarum ſummum ſacerdotem in Hieruſalem rogans vt mitteret ſibi legem Dei & viros peritos qui eam transferrent de Hebræo in Græcū. Eleazarus vero miſit ſapientiſſimos viros ſeptuaginta duos cū lege ad Ptolemæū. Qui recepit eos honorifice: & quidquid ab eis obſcurū quęſiuit inuenit:

& maxime de cognitione Dei & adminiſtratione regni: & in ſeptuaginta duobus diebus in ſingulis cellulis tranſtulerunt totam legem: & per ſpiritum ſanctum vna & eadem tam in verbis quam in ſententiis inuenta eſt editio omnium. Placuit factũ Regi: & eos bene remuneratos remiſit gratias agẽs. Eleazaro quoq; tranſmiſit munera multa. In templum miſit vaſa ſancta quæ potuit inuenire. Miſit etiam menſam magnam gemmis pretioſiſſimis inſignitam: cuius ſpiſſitudo cum eſſet dimidii cubiti, opus tamen materiam ſuperabat. Eo tempore Soſtratus Pharum in Alexandria conſtruxit mirabile valde: erat enim turris altiſſima in littore maris ſita, non in terra fundata, ſed ſuper quatuor cantos vitreos poſita: & tantæ magnitudinis artificio quod ignis in ſummo poſitus totum littus irradiabat. Erat quoq; in ea mirabile phanum ſepulchrum Arati in Sicilia admiratione dignum: nam ſaxa iacta ſuper eum reſiliunt. Tunc Aratus aſtrologus claruit: & argentei numi primum Romæ cuduntur. Carthaginenſes nauali prælio vicerunt Romanos Metello conſule fugato.

Ptolemæus Euergetes frater Philadelphi annis viginti ſex. Hic ab Ægyptiis Euergetes dictus eſt, quod reuectio ſonat. Etenim poſt vaſtatam Syriam, Ciliciam, & partẽ Aſiæ inter innumera ſpolia quæ cepit, etiam Deos eorum, quos Cambyſes in Perſas tranſuexerat, reportauit. Eo tempore Ieſus filius Sirac eccleſiaſticum librum ſapientiæ compoſuit, & quædam Salomonis verba interſeruit in eo. Ennius Tarentinus à Catone quæſtore Romã translatus eſt. Quadraginta fere millia Gallorũ à Romanis cæſa ſunt. Apud Rhodũ coloſſus magnus corruit terræmotu. Erat enim imago maxima tam miræ magnitudinis, vt ſagitta ad ſummũ dirigi non valeret. Caput eius tantæ magnitudinis quod capere poterat triginta coros grani: in inferiori parte in plantis pedum eius apertura erat, vnde homo intraret & ad caput aſcenderet.

Ptolemæus Philopator annis decem & ſeptem. Fuit filius Euergetis. Ab iſto Iudæi prælio victi ſexaginta millia corruerunt: Siciliamq; Marcellus conſul obtinuit.

Ptolemæus Epiphanes annis viginti quatuor. Libri ſecundi Macchabæorum hiſtoria inchoat. Hac ætate Romani victos Græcos liberos eſſe iuſſerunt dicentes: impium eſt ſeruos eſſe, apud quos philoſophia primum orta eſt magiſtra morum & inuentrix liberalium diſciplinarum.

Ptolemæus Philometor annis triginta quinq;. Per idem tempus Scipio Africam vicit: & Terentius comicus claruit. Hunc Ptolemæum Rex Syriæ Antiochus magnus vicit, & Iudæam ſibi ſubiugauit. Tributa ſeptimi anni & miniſtrorũ templi, quæ Philadelphus relaxauerat, reuocauit. Qui dum finitimas regiones ſupra modum infeſtaret, delata eſt res ad Romanos: & miſſi ſunt ad eum Scipio Africanus & Scipio Naſica & ab infeſtatione ſub religione iuriſiurandi amouerunt eum. Inſuper tulerũt ab eo obſidem filium eius Seleucum. Quem volens recipere ab eis tradidit pro eo filium minorem natu Antiochum Epiphanẽ: ita quod eſſet obſes perpetuus. Antiochus magnus regnante Ptolemæo Epiphane Syriam & Ægyptũ fortiter infeſtabat. Onias autẽ ſacerdos aſſumptis plurimis Iudæorũ fuit in Ægyptũ: & accepit à Rege, Helipoleos regionẽ, & in eo ſtruxit templũ ſimile templo Iudæorũ aſſerens ſe implere vaticiniũ Iſaiæ dicentis: Erit altare domini in Ægypto & titulus eius in terminis eius. Hoc templũ Ptolemæus Philometor multis diuitiis & gloria decorauit: quod poſtea Veſpaſianus cum ipſa ciuitate quæ dicebatur Oniæ funditus euertit. Occiſus eſt in Perſide Antiochus in phano Naneæ, id eſt, fortunæ: & membratim eiectus eſt à ſacerdotibus qui doloſe promiſerant ei theſauros: & regnauit pro eo filius eius Seleucus peſſimus & iners. Eo tempore Ariſtobolus natione Iudæus peripateticus philoſophus ſcripſit commentarios in Moyſem Ptolemæo Philometori. Antiochus vero Epiphanes qui erat Romæ obſes, occulte fugit in Syriã, & obtinuit regnũ. Hic templũ Hieruſalẽ ſpoliauit, & omnẽ vſum ſacrificiorũ remouit: idolũ Iouis Olympici inter duos Cherubim poſuit, & ſanctuarium ꝓphanauit. Penſanda valde tunc prudentia Romanorũ: nã ſubditos ſibi, amicos vocabant ſtrenue defendentes. Vnde cum Antiochus obſideret Alexandriã Ægypti, legati Romanorũ miſſi ſunt ad Ægyptios liberandos quib. fæderati erant. Cumq; applicuiſſent, egreſſus eſt eis obuiã Antiochus. & cum ſtaret in littore, dixit ei Marc. Publius: Senatus populuſq; Romanus præcipiunt tibi recedere ab amicis ſuis: cumq; ille peteret inducias reſpondendi, Marcus circa illũ fecit circulũ in ſabulo dicens: Senatus populuſq; Romanus pręcipiunt tibi ne egrediaris de hoc circulo donec reſpondeas. Ad quę Antiochus: ſi ſic viſũ eſt ſenatui populoq; Romano recedendũ eſt: & receſſit ab Ægypto. Tunc tẽporis Mathatias leges patrias fortiter vindicauit. Quo mortuo Iudas Macchabæus ducatũ Iudæorum ſuſcepit. Antiochus autem cum iterũ proponeret Iudæam

euertere & facere Hieruſalem polyandrium Iudæorum, iuſſit in furore agitari currum: & ſtatim apprehendit eum grauis dolor viſcerum, & cadens de curru in petram colliſus eſt: ferebatur humeris in geſtatorio, & ebullientes vermes fluebant à carne eius: & nec ipſe nec exercitus fætorem illius poterat ſuſtinere. Cognouit Antiochus potentiam Dei: & fatebatur ſe pati hoc pro violatione templi, atque inter amariſſimos dolores in montibus miſerabiliter mortuus eſt.

Ptolemæus Euergetes annis viginti nouem, qui Philologus dictus eſt. Hoc tempore per conſules Brutum & Tolemonem Hiſpaniæ maior pars à Romanis plus ſapientia quam armis obtenta eſt: & conſtructa ciuitas Toletana. Ionathas dux & pontifex Iudæorum. Quo à Triphone interfecto Simon frater eius in ducatum & ſacerdotium eleuatur: & quia Romani ſapienter & clementer ſe gerebant regendo fere totus orbis eorum dominium expetebat.

Ptolemæus Soter annis decem & ſeptem. Varro Ciceroque naſcuntur. Thraces Romanis ſubiiciuntur.

Ptolemæus Alexander annis decem. Syria per Gabinium ducem in Romanorum dominium tranſit.

Ptolemæus Phiſcon Cleopatræ filius annis octo. Hic poſtquam à matre per Gabinium ducẽ fuerat eiectus anno octauo regreſſus de Cypro regnũ obtinuit: eo quod Alexandrũ, qui ante eum regnauerat, ob interfectionẽ matris ciues à regno expulerat. Per idem tempus Sylla Athenienſes vaſtat: Saluſtius quoque hiſtoriographus naſcitur. Ariſtobolus filius Ioannis Hyrcani regnum & põtificatum Iudæorũ poſt captiuitatẽ Babyloniæ obtinuit primus. Plotius Gallus latinam rhetoricam primus docuit Romæ.

Ptolemæus Dionyſius annis triginta Per idem tempus Cato philoſophus claruit. Virgilius naſcitur Mantuæ: qui multa Romæ & Neapoli humana ſapientia glorioſe ferè incredibilia fecit: cuius etiam carmina de Chriſto manifeſtiſſime prophetare videntur. Horatius naſcitur in † Venuſina. Cicero laude oratoria celebratur. Apollodorus clarus habetur, qui poſtea extitit præceptor Auguſti. Ouidius philoſophus poeta naſcitur. Pompeius capta Hieroſolyma templum irreuerenter intrauit, & vſque ad ſancta ſanctorum aſcendit: cuius miratus pulchritudinem nihil de theſauris domus Domini abſtulit, ſed intactos permanere præcepit: Iudæos tamen tributarios Romanis fecit.

*Venuſia.*

Cleopatra regnauit annis duobus. Hæc Ptolemæi Euergetis Regis Ægypti fuit filia, & fratris Ptolemæi Philopatoris ſoror & coniux effecta. Quæ dum Philopatorem regno fraudare voluiſſet, tempore belli ciuilis in Alexandria occurrit Cæſari: & per ſpeciem atque ſtuprum regnum ſibi & mortem Ptolemæo apud Iulium impetrauit. Atque Alexandriæ regnum per Iulium Cæſarem in Romanam tranſiit ditionem. Regnum Ægyptiorum finit. Cleopatra poſtea Antonio Cæſari nupſit: & inter Octauianum Auguſtum & Antonium diſcordiæ nutrix fuit.

*Quatuor.*

Cæſar Iulius annis † quinque. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Cæſares vocati ſunt. Hic primus Romanorum monarchiam tenuit & inter mortales victorioſiſſimus fuit.

Octauianus Auguſtus ante natiuitatem Chriſti imperauit annis quadraginta vno. cuius incipiente imperii anno quadrageſimo ſecundo in Bethleem Iudæ de virgine Maria natus eſt Chriſtus. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Auguſti dicti ſunt. Finit ætas quinta ſeculi. Tamen ordiendum eſt qualiter ſacerdotium & regnum Iudæorum poſt captiuitatem Babyloniæ fuerit reparatum, vt ad narrationem ſextæ ætatis ſeculi clarius accedamus.

Poſt mortem Simonis ducis & ſacerdotis magni, qui fuit vltimus quinque filiorum Mathatiæ, ſucceſſit ei filius eius Ioannes cognomine Hyrcanus: qui tale cognomen ſortitus eſt eo quod Hyrcanorum populos in bello ſtrenue ſuperauit. Hic inſecutus eſt Ptolemæum, qui patrem eius Simonem dolo interfecerat, matremque eius cum duobus paruulis tenebat in vinculis, & fugerat ad Dagon oppidum vltra Hierichonta. Obſeſſo vero oppido cum Ioannes acriter inſiſteret, Ptolemæus matrem eius & fratres ſuper muros cædebat vſque ad ſanguinis effuſionem: fractuſque pietate Ioannes ab impugnatione ſe temperabat: matre tamen clamante ne propter ſe ſineret Ptolemæi ſcelus inultum, mortem enim ſuam ſic iudicare meliorem immortalitate. Ob hoc itaque diutius tracta obſidione ſeptimus aduenit annus, Iudæis feriatus, receſſitque ab obſidione Ioannes. Ptolemæus vero matre ipſius & fratribus occiſis fugit ad Zenonem Philadelphæ Tyrannum, qui Cotyla dicebatur.

Poſt

Poſt Antiochus Pontius Rex Syriæ obſedit Hieruſalem. Quamobrem aperuit Ioannes duos de octo loculis circunſtantib. ſepulchrum Dauid: & ſuſtulit ex eis pluſquam tria millia talentorū auri & argenti, deditq; trecenta talenta Antiocho vt ab obſidione recederet, & vt placaret murmur populi de ſepulchri apertione, de reliqua pecunia primus inſtituit hoſpitale pauperū in Hieruſalem & muros fortes in eo inſtituit ad defenſionē templi. Samariam captam ſolo æquauit: quam poſt Herodes inſtaurans Sebaſtem nominauit. Eodem tempore mortuo Ioanne filio Simonis, qui cognominabatur Hyrcanus, rebus optime adminiſtratis relictis quinq; filiis Ariſtobolo & Antigono cum tribus aliis minoribus, Alexandra vxor Ioannis diſertiſſima ex præcepto Ioannis præerat Iudæis, eo quod nullus filiorum ad populum regendum ſufficeret. Ariſtobolus vero impatiens dominii materni matrem cum fratribus minorib. incarcerauit: & Antigonum, quem diligebat ſecundum à ſe cōſtituit: impoſuitq; ſibi diadema regni & ſacerdotii, & reſtitutum eſt regnum Iudæ. Fluxerant à Sedechia vel à captiuitate Babylonis anni quadringenti ſeptuaginta quinq;. Ariſtobolo autem præciſum eſt regnū, & non regnauit niſi per annum, eo quod matrem fame peremerat in vinculis. Conſilio etiam vxoris ſuæ fratrē ſuum Antigonum interfici fecit, & ipſe poſtea expirauit. Quo mortuo vxor eius, quæ prolem ex eo non ſuſceperat, fratres viri ſoluit à vinculis maiorem natu Alexandrum Regē conſtituens, qui cognominatus eſt Iannæus. Hic Alexander filius Ioannis Hyrcani regnauit annis triginta octo. Accepit vxorē nomine Alexandram, quæ & Salome dicta eſt. Adeo nequiſſimus fuit quod in trib. annis circiter quinquaginta millia ſeniorum interfecit, quia facinora eius deteſtabantur: Cumq; offenſus eſſet populo, muniuit ſibi palatium in turri, quæ Baris dicebatur, quam duo viri defendere poterant ab omni viuente. In tantum odioſus erat Iudæis vt ſemel percunctati ab eo quo pacto poſſet eos ſedare, reſponderint, ſi moreretur. Ob hoc in plateis Hieruſalē octingentos viros vxoratos ſuſpendit, vxoreſq; eorum & liberos necauit. Sciens itaq; filios pro patre Iudæis odioſos, regnum reliquit vxori, quæ ſub viro reſiſtens ipſius tyrannidi beneuolentiam ſæpe comparauerat, & ſimulatam religionem in habitu præferebat. His temporibus Iugurta contra Romanos dimicans à Sylla & Mario captus eſt. Romæ ars rhetorica cępit haberi edocta à Plotio Gallo. Alexandra dum regnaret Hyrcanum primogenitum ſuum Pontificem declarauit eum futurum Regē iudicans quia modeſtus erat. Minorē vero Ariſtobolum, eo quod feruentis animi videretur, priuatū viuere coegit. Eo tempore orta eſt in Iudæa hæreſis Phariſæorū, quorum conſilio vtebatur in omnib. Alexandra. Nono autē regni ſui anno ægrotauit Alexandra: & Ariſtobolus collecta plurimorū manu poſt matrē nitebatur regnare. Ob hoc mater miſerata querelarū Hyrcani acceptos obſides coniugē & filios Ariſtoboli in cuſtodia recluſit, ne regnum ſibi Ariſtobolus vſurparet. Mortua vero Alexandra Ariſtobolus contra fratrē mouit arma, & in congreſſione victus Hyrcanus fugit in Hieruſalē. Tandem ea lege in concordiam redierunt, vt Ariſtobolus regnaret, & Hyrcanus ſub eo quibuslibet honorib. fungeretur. Orta tamen iterum diſcordia magna inter Hyrcanū & Ariſtobolū, ſuper obtentu regni fortiter contendebant. Tunc temporis Pompeius, qui miſſus erat à Romanis contra Tigranē Armenię Regē, cum audiſſet fratrum diſſenſionem, in Iudęam venit, atq; legati à fratribus vtrinq; venerunt eius auxilium poſtulantes. Properāte vero Hieroſolymam Pompeio occurrit ei Ariſtobolus pollicens illi infinitam pecuniam, ſeq; Romano imperio de cætero pariturum. Cumq; miſſus eſſet Gabinius ad accipiendam pecuniam & vacuus reuerteretur, Pompeius Ariſtobolum in cuſtodia collocauit: & obſedit Hieruſalem: atq; à fautoribus Hyrcani in vrbem receptus eſt. Fautores vero Ariſtoboli receſſerunt in templum: ſed à Romanis fortiter debellati. templum irruptum eſt & à Romanis prophanatum, ita vt equos in porticibus ſtabularent. Ob quam cauſam creditur, nunquam de cætero pugnaſſe Pompeium quin vinceretur, qui hactenus fortunatiſſimus fuerat. Impoſuit Pompeius Hieroſolymis tributum Hyrcano Pontifice declarato, & Ariſtobolum cum duobus filiis Alexandro & Antigono & totidem filiabus captiuauit: Romamq; per Ciliciam properabat Syria & Iudæa adminiſtratione Scauro commiſſa relictis ſecum duab. cohortibus, Alexander vero filius Ariſtoboli ex itinere fugit: qui magna manu collecta Iudæam deuaſtabat, & Hyrcano prominebat. Obtinebat autē munitiſſima loca: & in caſtro Alexandro à Gabinio obſeſſus conſilio matris Alexander ſe & caſtra ſua tradidit: quæ Gabinius funditus euertit. Poſt hæc Gabinius cura templi Hyrcano mandata gentē Iudęorū in quinq; conuentus diuiſit quaſi per pentarchias Iudææ ſuperbiam frangens. Eo tempore Antipater alienigena factus eſt amiciſſimus Gabinio: adeoq; claruit quod data eſt ei vxor

Regis Arabum Cypris nomine: qui ſuſtulit ex ea quatuor filios & filiam, id eſt, Phaſelum, Herodem, qui poſt dictus eſt Aſcalonita. Tertius Ioſipus, quartus Pheroras, filia dicta fuit Salome. Poſt hęc caſu elapſus eſt Ariſtobolus Roma, qui magna manu Iudęorum conflata in Iudæa Alexandria muro recingebat. Ad quem debellandũ miſſus eſt à Gabinio Antonius. Captusq; iterum Ariſtobolus, cum filiis Romæ incarceratus eſt: ſed filii eius in Iudeã remiſſi ſunt. Poſt hęc cum Gabinius apud Ægyptum detineretur, Alexander Ariſtoboli filius Iudęos iterũ ad diſſenſionẽ reduxit. Sed rediens Gabinius eos pacificauit, & Hyrcano pontificatũ confirmauit. Quo mortuo miſſus eſt præſes Syriæ Craſſus, vt etiam Parthos, qui iam Romanis imminebant, reprimeret. Hic tulit fere totum aurũ de templo ad duo millia talentorum à quibus Pompeius abſtinuerat. Et ob hoc ex Romani ſenatus ſententia † Caſſius aurũ igne liquefactũ in os eius infudit donec moreretur dicens: Aurum ſitiſti, aurum bibe. *Craſſus* Eo tempore factũ eſt diſſidium inter Romanos pro Pompeio & Iulio Cæſare. Cæſar autem poſt ſenatus & Pompeii fugam trans mare Ioniũ rebus omnibus Romaq; potitus ſolutum Ariſtobolum cum duabus cohortib. in Syriam miſit per hunc Iudæã ſibi poſſe ſubiici arbitratus. Verum ſpes Cæſaris fruſtrata eſt. Nam ab amicis Pompeii veneno periit Ariſtobolus: occiditur quoq; filius eius Alexander Antiochiæ à Scipione. Solus Antigonus ſuperſtes remanſit cum ſororibus ſuis & ad quendam Ptolemæũ, qui ſub Libano morabatur, confugit. Accepitq; Ptolemæus minorẽ ſororẽ eius Alexandram nomine in vxorem: de qua ſuſcepit Liſaniam Abilinæ poſtea tetrarcham. Iulius quoq; Cæſar antea in cõſulatu Germanos & Gallos obtinuit: Britannos quoq; victos obſidib. acceptis ſtipendiarios fecit.

Inter Pompeium & Iulium Cæſarẽ per quatuor annos indeſinenter bellum acerrimum toto orbe tenuit: & in Emathia victus Pompeius Alexandriã fugit: in qua à Ptolemæo Rege Ægypti percuſſus interiit. Mortuo Pompeio Antipater amicus Pompeii Iulio Cæſari ſe firmiter copulauit; & in multis fideliſſimus amicus & ſubditus Cæſari claruit: vnde ciuis eſt Romanus aſcriptus, & eius gratia pontificatũ Cæſar confirmauit Hyrcano, ita tamen ne Rex vocaretur. Poſt hæc Antipater filiũ maiorẽ Phaſelũ Hieroſolymis ſub ſe procuratorẽ ſtatuit, & Herodẽ Galilææ præfecit, & adeo terram ſibi ſubditam quietã reddidit, vt Herodes, pater Galilææ cantaretur. Cæſar de partib. tranſmarinis Roma venit, & glorioſe receptus, & octauo decimo die de Roma Saguntũ acceſſit: & principantibus Petreio & Afranio totã Hiſpaniã Romano imperio ſubiugauit, & Hiſpalim Iuliam Romulã vocauit. Per diuerſas Hiſpaniæ partes itinera ob inſigne nominis fieri iuſſit: & turrim mirabilẽ in Pharo Galleciæ condidit. Et ab Hiſpania regreſſus Romę dolo Bruti & Caſſii occiſus eſt poſt annos quinq; & menſes ſeptem quam regnare cæperat. Tribus autẽ annis & menſib. ſeptem poſt victoriã Pompeii ſolus tenuit principatũ. Obiit autẽ Cæſar anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto. Corpus eius combuſtũ eſt à populo Romano in foro, & ſtatuerunt ſibi columnã lapidis Numidici, ſuper quam tumulatus eſt in pomo deaurato, quę Iulia dicta eſt. Centeſimo die ante mortem eius, fulmen cecidit iuxta ſtatuã Cęſaris in foro: & de nomine eius ſuperſcripto C. literam capitalẽ abrupit. Nocte præcedente diem mortis eius feneſtræ thalami tanto ſtrepitu apertę ſunt, vt Cęſar à lecto exiliens ruiturã crederet domum. Eadẽ die cum iret in capitoliũ, datæ ſunt ei litteræ indices mortis imminentis: quæ, dum portaretur occiſus, in manu eius nondũ ſolutę inuentę ſunt. Eodẽ tempore apparuerũt tres ſoles in oriente: qui paulatim in vnũ corpus ſolare redacti ſunt ſignificantes ꝙ dominiũ Lucii Antonii & Marci Antonii & Auguſti ꝙ poſt Iuliũ Cęſarẽ Romanorũ adepti ſunt, in vnã monarchiam rediret. vel potius ꝙ notitia trinitatis in vno Deo toti orbi imminebat futura.

Erat eodem tempore quidam de amicis Hyrcani nomine Malicus aſpirans ad ſacerdotium, & cupiens Hyrcanum veneno appetere prius appetiit Antipatrum: & veneno oblato interfecit. Herodes vero ob vindictam patris Malicum interfecit. Habebat tunc Herodes vxorem nomine Doſidem ſed ignobilem, de qua Antipatrum ſuſcepit: ſuperducitq; Mariamnem neptem Hyrcani: cuius etiam amore circuncidit ſe, & factus eſt proſelytus. Habuit & vxores alias, quarum plures ſuſcepit filios: ex quibus paucos ſufficit numerare: primogenitus Antipater ex Doſide, Alexander & Ariſtobolus ex Mariamne, Archelaus ex Mathata Samaritide, Herodes Antipas, qui poſt tetrarcha fuit, & Philippus ex Cleopatra Hieroſolymitide.

Veniens autem Antigonus cum Pacoro Rege Parthorum in manu valida Antonio Cæſare regreſſo Romam Hieruſalem expugnabat. Sed cum intraſſet vrbem Hyrcanũ & Phaſelum Parthorum exercitus cepit & Herodes ad Idumæos contribules ſuos fugit. Parthi vero Antigonum reſtituerunt in regnum: & Hyrcanum & Phaſelum vinctos

ctos ei tradiderunt verberandos. At ille dentibus aures Hyrcani truncauit, ne quando mutatis rebus ſolutus pontificatum reciperet: Phaſelus vero cum vinculis ligatus eſſet, ſponte ad ſaxum fracto capite expirauit. Herodes accepta morte fratris Romam properauit: & ab Auguſto & Antonio coronatus Iudææ Rex conſtituitur. Tunc miſſi ſunt cum eo duo Principes Ventidius & Sylo qui eum in regno collocarent. Et cum veniſſent in Galilæam, Antigones Sylonem corrupit muneribus, & propterea congredi Antigono ſimulatis occaſionibus differebat: & cum tandem obſediſſet Hieruſalem, Romani tum pro hyemis aſperitate tum pro inopia victus receſſerunt. Herodes autem venit ad Antonium, qui tunc circa Athenas morabatur, ſuper dolo Sylonis querelam facturus: dumque Herodes eſſet cum Antonio, Ioſippus contra Antigonum dimicauit & victus interfectus eſt à Papio principe militiæ Antigoni. Quod cum accepiſſet Antonius exercitum cum Herode miſit in Iudæam, & occurrentem ſibi Papium vicit & interfecit. Deinde quinque menſibus obſeſſa Hieruſalem capta eſt à Romanis, & aſtrictus Antigonus catena aurea Deo dicata ad Antonium ductus eſt, & ab eo ſecuri percuſſus. Tunc Antonius Cleopatram duxit vxorem: quæ amore regnandi ſuccenſa inter Antonium & Auguſtum ſemper diſcordiam ſeminabat. Confirmatusque eſt Herodes in regno Iudææ quarto anno ex quo Romę diadema ſuſceperat. Herodes autem Hyrcanũ occidit, eo quod dicebatur regnum ſibi deberi: occidit etiam Mariamnem vxorem ſuam ob ſuſpicionem adulterii: de cuius morte adeo doluit, vt tanquam lunaticus crebro in amentiam verteretur.

Poſt hæc commiſſum eſt prælium apud Actium ad ſuggeſtionem Cleopatræ inter Auguſtum & Antonium: quo Antonius victus poſt dies paucos mortuus eſt: vxor etiam eius Cleopatra è mamillis ſuſpenſa aſpide mortua eſt. Eſt enim aſpis quoddam genus ſerpentis quod ex morſu ſomno inducto interficit. Herodes autem amicitiam Auguſti obtinuit: & primogenitum Antipatrum ex Doſide volebat præponere in regni ſucceſſione Alexandro & Ariſtobolo, qui erant ex Mariamne, ne videretur eſſe de genere Iudæorũ. Vnde fecit cõburi omnes libros regalis proſapiæ Iudæorũ vt aboleretur genealogia Regũ ipſorũ. Quapropter Alexander & Ariſtobolus cũ eſſent perſecutores acerrimi, contra Herodẽ apud Octauianum Auguſtũ contendebant, & de morte patris occulte tractabant. Octauius autem Cæſar regnauit annis quinquaginta ſex & menſibus ſex. Huius anno quarto era ſingulorum annorum ab eo eſt cõſtituta quando primũ cenſum exegit: & Romanũ orbem deſcripſit. Dicta eſt era ex eo quod totus orbis æs per ſingulos annos reddere profeſſus eſt reipublicæ. Multa glorioſe geſſit in imperio, & tres triumphos præclare peregit, id eſt, Dalmaticum, Aſiaticum, Alexandrinum & etiam Hiſpanũ poſtquam ciuitas Cæſarauguſta Auguſti pręcepto in Hiſpania cõditur. Deinde terra mariq; pace orbe toto redita Auguſtus Iani portas clauſit, vt bellandi ceſſaret occaſio. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Auguſti appellati ſunt. Sub cuius imperio ſexaginta nouẽ hebdomadæ in Daniele ſcriptę cõplentur: ita quod dies pro anno computentur: & faciunt ſeptuaginta hebdomadæ annos quadringentos & nonaginta. Eodem tempore natus eſt magnus Chriſti præco Ioannes Baptiſta & à Dei genetrice Maria in hora natiuitatis ſuæ de terra primo fuit eleuatus.

*Sexta ætas ſeculi.*

SEXTA ætas: in qua anno quadrageſimo ſecundo regni Auguſti natus eſt Chriſtus, anno vero regni Herodes triceſimo, vniuerſo orbe pacato, & anno ab vrbe condita ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo. A quibuſdã numeratur à natiuitate ipſius, ab aliis à die qua baptizatus eſt propter vim regeneratiuã aquis datam: ab aliis autẽ numeratur à paſſione ipſius, quia tũc facta eſt redẽptio noſtra, & aperta eſt cœli ianua atq; inchoata quodãmodo ætas ſeptima quieſcentiũ. Melius autẽ videtur à natiuitate ipſius inchoanda, eo quod Apoſtolus dicit: cum venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuũ, &c. † Quandoquidẽ de intemerata Virgine Maria natus eſt Deus & homo Chriſtus, fluxerãt ab Adã anni quinque mille ducenti vno excepto ſecundũ ſeptuaginta interpretes, ſecundũ Hebræos vero longe pauciores: eo quod Moyſes omiſſis cẽtum annis quibus Adam filiũ Abel mortuum luxit, centum triginta annorum eum eſſe dixit, cum genuit Seth. Septuaginta autem interpretes & Ioſephus atque plures alii hiſtoriographi ducẽtorũ triginta annorũ eũ fuiſſe dixit, cũ genuit Seth. ſimiliter fit in quibuſdã aliis locis ſcripturarũ. Iudæi etiã ob odiũ fidei Chriſtianæ, ne cõtra eos proferatur teſtimoniũ veritatis quędã de libris legis pręciderũt & quędã immutauerũt. Natus eſt autẽ dominus nocte Dominici diei, vt ea die qua dixit fiat lux, viſitaret nos oriens ex alto. Anni autẽ huius ætatis ſextæ per cõputationẽ annorũ ab incarnatione eius vel per erã,

*Ratio hac annorum nõ conſtat propter CXXX annos Cainam quos Lucas addidit ad chronicon Iſidori, quẽ alioqui ſequitur in aliis ad eiusque rationẽ per incuriam recurrit tum hoc tum aliis locis quibuſdam.*

quæ triceſimo octauo anno ante natiuitatem eius inuenta eſt, vſque ad finem mundi clare poterat inueniri. Tamen per annos Romanorum imperatorum vſq; ad Heraclium Auguſtum vel Suintillanum Gotthorum Regem annorum numerum oſtendamus. Tamen præuidendum, quod aliquando plures imperatores regnabant ſimul & & etiam aliqui nonnunquam tyrannice imperium aſſumebant. Hic autem magis notabiles deſcribuntur & aliorum anni ſub eis adnotantur.

Ieſus Chriſtus filius Dei triceſimum tertium annum ætatis ſuæ explens & fere menſes tres anno imperii Tiberii Cæſaris octauo decimo crucifixus eſt. Poſt hæc Tiberius regnauit annis quinq;.

*Auctor vſq; ad Caii finem numerat annos 5238. ſui nempe oblitus & ad Iſidori rationem recurrens, quam reliquerat.*

*Gallus*

| | |
|---|---|
| Anni ab orbe c. | Caius Caligula regnauit annis quatuor. |
| 5369. | Claudius regnauit annis x i i i i. |
| 5383. | Nero regnauit annis x i i i i. |
| 5397. | † Galba regnauit annis duobus. |
| | Veſpaſianus regnauit annis nouem. |
| | Titus regnauit annis duobus. |
| | Domitianus regnauit annis ſedecim. |
| | Neruus regnauit anno vno. |
| | Traianus regnauit annis x v i i i i. |
| | Hadrianus regnauit annis x x i. |
| | Antoninus Pius regnauit annis x x i i. |
| | Antoninus Iunior regnauit annis x v i i i. |
| | Item Antoninus regnauit annis duobus. |
| 5522. | Commodus regnauit annis x i i i. |
| 5523. | Ælius Pertinax regnauit anno vno. |
| | Seuerus Pertinax regnauit annis x v i i i. |
| | Antoninus Caracalla regnauit annis ſeptem. |
| | Macrinus regnauit anno vno. |
| | Marcus Aurelius regnauit annis quatuor. |
| | Alexander regnauit annis x i i i. |
| | Maximinus regnauit annis tribus. |
| | Gordianus regnauit annis ſex. |
| | Philippus regnauit annis ſeptem. |
| | Decius regnauit anno vno. |
| | Gallus & Voluſianus regnauerunt duobus annis. |
| | Valerianus & Galienus regnauerunt annis x v. |
| | Claudius regnauit annis duobus. |
| | Aurelianus regnauit annis ſex. |
| | Tacitus qui & Iacinctus regnauit anno vno. |
| | Probus regnauit annis ſex. |
| | Carus regnauit annis duobus. |
| | Diocletianus & Maximianus regnauerunt annis x x. |
| | Galerius regnauit annis duobus. |
| 5669. | Conſtantinus regnauit annis x x x. |

Octauianus Auguſtus volens ſcire numerum regionum in orbe, quæ Romanæ ſuberãt ditioni, numerum etiam ciuitatum in qualibet regione, numerũ quoq; capitum in qualibet ciuitate, præceperat vt de ſuburbanis, oppidis, vicis & pagis ad ſuam homines cõfluerẽt ciuitatẽ, vnde trahebãt originẽ: & quiſq; nummũ argenteũ pretii decẽ nummorum vſualium prouinciæ tradens ſe ſubditũ Romano imperio profiteretur: & quia numerus eorum qui cenſi capite ferebantur, redigebantur in ſcriptis, huiuſmodi profeſſio deſcriptio dicta eſt. Hęc deſcriptio facta eſt à pręſide Syrię Cirinio in Iudæa vt in Hieruſalẽ inchoaretur, quæ eſt cor ſiue mediũ terræ habitabilis: & deinde per circunſtantes nationes alii præſides ꝓſequerentur. Tunc aſcendit Ioſeph à Nazareth in Bethleem, vt profiteretur cum Maria vxore ſua prægnante. Hæc ſolutio prima dicta eſt, non q; tunc inciperet primo, cum anno quarto Auguſti cæpta fuerit, ſed quod annuatim in Iudæa primo habebat fieri: & dicebatur era. Factũ eſt dũ eſſet ibi peperit virgo filiũ ſuũ primogenitũ, primogenitũ dictũ nõ quod poſtea genuerit aliũ: ſed quod fuerit primus dignitate, & ſine peccato cõceptus, & ſine matris dolore natus. Locus vbi natus eſt dominus: iure paterno ꝑtinebat ad Mariã & Ioſeph, eo q; ibi fuerit domus Ieſſe patris Dauid: ad quẽ cauſa orandi ꝓpter ſanctitatẽ loci multi diuertebant. Vbi erat quędam ſpelunca

Iuncta ad quam Ioſeph ſe contulit,& boui & aſino quos ſecũ duxerat; præſepiũ fecit in quo eſt repoſitus Ieſus. Multa quidẽ ſigna in natiuitate ipſius claruerunt per orbẽ: quæ in euangelio non ſunt ſcripta. Nam Romani ædificauerant templũ pacis, propter pacẽ quæ fuerat continua ſub Auguſto per vniuerſum orbem fere duodecim annis. Et conſulentes Apollinem quan diu duraturum eſſet templum illud, reſpondit; donec pariat virgo. At Romani dixerunt: Ergo in æternum durabit, quia nunquam virgo pariet. Sed in hora natiuitatis domini ipſum templum funditus eſt euerſum. Multa enim futura prædicebant ſpiritus falſitatis eos vrgente ſpiritu veritatis. Fons etiam olei trans Tiberim erupit,& vſque ad flumen fluxit: per quod intelligitur excellentiã pontificalis vnctionis Romæ vrbi per Chriſtum eſſe collatam. In Hiſpania etiam hora natiuitatis domini circa noctis medium quædam nubes adeo ſplenduit, vt meridiani caloris feruorem & ſplendorem daret terris.

Tertia decima die ex qua natus eſt Chriſtus, tres magi, id eſt, ſapientes noua ſtella duce venerunt Hieruſalem nouum natum Regem cum muneribus quærentes. Sapientes enim dicebantur magi quaſi maiores vel magni. Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt timens ne quis de ſemine Hyrcani vel Ariſtoboli natus eſſet regnaturus ſe tanquam alienigena à Iudæis dimiſſo. Cumque diligenter didiciſſet ortum ſtellæ, vt per eum natalem pueri ſciret, etiam à ſacerdotibus & ſcribis ſciſcitabatur vbi Chriſtus naſceretur. Qui ex vaticinio Micheę prophetæ dixerunt in Bethleem Chriſtum naſciturum. Herodes autẽ pręcepit magis mittens illos in Bethleem, vt poſtquam adoraret puerũ reuerterentur ad ipſum. Iam enim direxerat animum ad perdendum puerum. Sed magis poſtquã adorauerant, per aliã viam in regionẽ ſuã reuerſis doluit Herodes ſe illuſum ab eis: maxime cũ audiſſet, quæ dicta fuerãt à paſtoribus & prophetias Simeonis & Annæ: & de morte puerorũ Bethleemitarũ tractabat, vt Ieſus quẽ ignorabat occideretur cũ eis. Quapropter per admonitionẽ angeli fugit Ioſeph cũ puero & matre eius in Ægyptũ. Qui cũ ingrederetur Ægyptũ, corruerũt omnia ſimulacra Ægyptiorũ.

Herodes autem dum de nece puerorum diſponeret, citatus eſt per epiſtolam à Cæſare Auguſto vt Romam iret filiis de illo conquerẽtibus reſponſurus. Qui cum iter faceret per Ciliciam audiens naues Tarſenſiũ magos tranſuexiſſe, in ſpiritu vehementi combuſſit naues Tharſis. Cum vero coram Ceſare diſceptaſſet pater cum filiis, hac lege facta eſt recõciliatio, vt adoleſcẽtes in omnibus patri obedirent, & ipſe regnũ dimitteret cui vellet. Venienſque Hieroſolymam populo conuocato Iudæorũ, tribuſque filiis aſtantibus concordiam fratrũ à Cæſare factã expoſuit: & ſe ſucceſſionis iudicẽ conſtitutum ne Iudæi regnũ ad ſuos rediturum exiſtimarent. Tunc Herodes in regno Iudææ Trachonitidis Ituræ, totiuſq; maritimæ vſq; ad pyrgũ Stratonis confirmatus certius quã prius, elapſo anno à natiuitate domini mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius, ab bimatu & infra. Omnes autẽ qui erãt de genere regio vel ſacerdotali ab vno anno vſq; ad quinq; annos fecit occidi. Sed factũ eſt, vt quoniã Herodes multos orbauerat filiis, & ipſe ſuis miſerabiliter orbaretur. Nã ipſe Alexandrũ, Ariſtobolũ & Antipatrũ, qui de morte patris contendebãt, interfecit: & ipſe variis afflictus languoribus validæ febris, & intercutaneo morbo putreſcẽtibus genitalibus, & ex eis ſcatentibus vermibus mortuus eſt trigeſimo ſeptimo anno poſtquam à Romanis Rex fuerat declaratus. Fuit ex patre Idumeus, Arabs vero ex matre, qui Aſcalonita dictus eſt, eo quod ædificauit domũ regiã in Aſcalone: vel dictus eſt Aſcalonita, quia auus eius Herodes Idumæus erat natione, & Aſcalonita conuerſatione, & ędituus templi Apollinis. Cuius filium Antipatrũ paruulum rapuere cõſanguinei eius latrones Idumæi: & cũ eis tantũ fuit, quod etiã poſt factus eſt princeps eorũ: vnde Idumæus dictus eſt. Hic templũ profanauit: & aquilã auream in honorẽ Auguſti poſuit ſuper ſpecioſam portã templi. Hic Herodes conſtruxit Cæſareã Palęſtinæ, in qua erat turris Stratonis. In qua contra aduentum Cæſaris portã de candido marmore conſtruxit: & in ea poſt Cornelius centurio à beato Petro epiſcopus creatus fuit. Ædificauit etiã in Hieruſalem turrim quæ dicitur Antonia. Qui cum audiſſet quod Iudæi gauderent in morte eius, ex tota Iudæa nobiliores collectos iuuenes cõcludi præcepit in carcerem, præcipiens ſuis, vt cum animam efflaret, ſtatim illos occiderent: vt Iudæi in morte ipſius etiam inuiti plangerent. Filium ſuum Archelaum regni ſucceſſorem ſcripſit, ita tamen quod ab Auguſto ſuſciperet diadema.

Poſt mortem Herodis Archelaus ſeptima die poſt patris honorificam ſepulturã, candida veſte indutus aſcendit in templum variiſque: fauoribus à plebe ſuſceptus Iudęis leuamen ab oppreſſione patris petẽtibus, cũctis tributa annua relaxauit: & nobiles

ſoluit,quos pater moriens iuſſerat occidi.Inſtante autem azymorum die, & cum turba pontificem quem Herodes pretio creauerat,amouendum clamaret: & ab immolatione prohiberet, maxime cum non eſſet recta linea de genere ſacerdotum, Archelaus miſſo Chiliarcho verbis eos ſedare tentauit. Cum autem vulneratum remiſiſſet chiliarchum, & ſeditio creſceret, Archelaus miſſa manu ſatellitum fere nouem millia Iudæorum interfecit: & per vocem præconis omnes ad propria redire commonens neglecta feſtiuitate omnes abierunt. Ex quibus patet iam veniſſe ſanctum ſanctorum: & Iudæos regnum & ſacerdotium amiſiſſe ſecundum vocem ſanctorum prophetarum. Profectus eſt autẽ Archelaus vt iret Romam accepturus diadema regni. Profectus eſt etiam Herodes Antipas, vt de regno habendo diſceptaret cum fratre. Iuerunt etiam & quinquaginta ex honorabiliorib. Iudæorum, & apud Cæſarẽ inſtabant ſupplicantes, vt Iudæorum reliquias dignas miſericordia iudicaret: & ius antiquum regni illis reſtitueret. Aut eos Syriæ finibus coniungeret, aut per Romanos iudices Iudæam adminiſtraret. Eo tempore quidam Iudæus in partibus Sydoniorum nutritus, ſimillimus Alexandro Herodis filio, quem pater interemerat, inſtinctu cuiuſdam liberti Herodis, qui omnes actus regni ſciebat, venit in Iudæam aſſerens ſibi deberi regnum, tum quia maior filius Herodis erat, tum quia ex parte matris eum contingebat. Cumq; plures Iudæorũ ſequaces haberet perrexit Romam ſciſcitatus qualiter viueret, dicebat lictores miſeratos alium pro eo morti ſubiecisse. Auguſtus vero optime vultũ Alexandri ſciens, quia dum Romæ ſtuderet puer, quædam ſecreta cum eo habuerat, fallaciam ſimilitudinis animaduertit: promiſitq; illi vitam, ſi tantæ fraudis detexiſſet auctorem. Cumq; ille cõfeſſus eſſet, iuſſit Cæſar libertum interfici: & falſum Alexandrum propter habitudinẽ corporis conſtituit eſſe de numero remigantium piratarum. Tandem de conſilio ſenatus Cæſar monarchiam Herodis diſtribuit. Mediam partem Iudæam ſcil. & Idumæam tradens Archelao ſub nomine tetrarchiæ, pollicitus eum ſe facturum Regẽ ſi dignũ ſe præbuiſſet. Mediam vero partẽ in duas ſecuit tetrarchias: ceſſitq; in partẽ Herodis Antipæ regio trãs flumẽ & Galilæa. Ituræa vero & Trachonitis & Auranitis Philippo deſtinata ſunt. Liſanias autem Abilinam ſuſcepit ſub nomine tetrarchiæ, quæ erat pars ſatis minima aliarum. Archelaus vero poſtquam venit in Iudæam, valde patre crudelior fuit, & cum eſſet diarchus, monarchi nomen falſo impoſuit ſibi. Cuius crudelitatem non ferentes Iudæi per diuerſas mundi partes eorum maxima multitudo diſperſa eſt, religioſioribus Iudæis remanentibus in Iudæa. Huius regni anno primo Angelus dixit Ioſeph, vt rediret cum matre & puero in terram Iſrael. Qui rediens ab Ægypto poſt annos ſeptem cum audiret quod Archelaus pro patre regnabat in Iudæa, noluit illo ire: & admonitus ab angelo iuit in Galilæam & manſit in Nazareth. Tandem crebro accuſatus Archelaus à Cęſare aduocatur. Nono autem principatus ſui anno Romam veniens à Cæſare damnatus in exilium pellitur apud Viennam Galliæ ciuitatẽ. Tunc Romani Archelai regnum per procuratores adminiſtrare cæperunt: primuſq; procurator illuc Coponius à Cæſare miſſus eſt: & Iudæa in prouinciam redacta eſt. Romani enim triumphatis regionibus, quaſdã faciebant colonias expulſis propriis habitatoribus, & nouis ſuperinductis colonis, qui medietatẽ fructuum Romanis exoluerent: quaſdã etiam faciebant prouincias expulſis Regibus, ſed propriis relictis habitatoribus: à quib. præſes Romanus annuatim tributa reciperet: quod factum eſt in finibus Archelai eo in exilium relegato. Eo tempore Philippus Sephorum reparans Iuliam nominauit in honorem Iuliæ vxoris Cæſaris, Coponio præſide Romam reuerſo ſucceſſit & Marcus: & huic ſucceſſit Annius Rufus, ſub quo moritur Octauianus Auguſtus cum regnaſſet quinquaginta ſex annos & menſes ſex & dies decẽ. Ex quibus duodecim annis Antonius cum eo regnauit. Cum enim quadrageſimo ſecũdo regni eius anno natus eſt dominus, qui quinto decimo anno imperii Tiberii fuit tricenarius: patet Auguſtũ mortuum domino quintum decimũ annũ agente. Mortuus eſt autẽ anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo. Tiberius filius eius adoptiuus ſucceſſit ei regnans annis viginti tribus. Qui Valeriũ Gracchũ miſit in Iudæã: qui quæſtũ putans pietatẽ palam vẽdebat ſacerdotii principatum. Qui amouens Annam, Iſmaelem pontificẽ declarauit: quo amoto Eleazarum Annæ filium ſubrogauit. Poſt annũ etiam hunc remouens Simonem inſtituit. Sed & poſt annũ Ioſippum, qui & Caiphas, appoſuit. Ille fiebat ſacerdos, qui offerẽdo pecuniã prȩualeret. Tamẽ Gracchus poſt annos vndecim Romã reuerſus eſt. Cuius ſucceſſor miſſus eſt Pontius Pilatus: ſub quo Herodes Antipas in honorem Tiberii Tiberiadem ædificauit. His temporibus Tiberius multos Reges ad ſe vocatos ductus auaritia nõ remiſit: inter quos Archelaum Cappadocem retinens regnum eius in prouinciam

uinciam

uinciam vertit: vnde multæ gentes ob auaritiam Cæſaris à Romano imperio diſceſſerunt. Auaritiæ igitur cauſſa cæpit diminui Romanum imperium, quod vbiq; terrarum largitate ac clementia fuerat dilatatum. Sane Pilatus veniens Hieruſalem ſtatuas Romanorum ſecum ferens, eas in templo poſuit: ſed rogantibus Iudæis eas amouit. Item Pilatus videns Hieruſalem aquæ penuria laborare, aperuit gazophylacia: & ex opibus templo dicatis aquæ ductum cæpit ædificare ſuſcipiens initium torrentis qui ſtadiorũ duum millium interuallo diſtabat. Iudæi vero acclamabant vt ab opere ceſſaretur. Ob hoc Pilatus multos Iudæorum occidit: & intermiſſum eſt opus, eo quod Iudæi legationem accuſationis contra Pilatum ad Cæſarem direxerant. Habebat etiam Pilatus ſtolam ſolemnem & antiquam in poteſtate ſua: quam debebat ſemper habere Pontifex, vt vteretur ea in diebus feſtiuis: & non poterat eam habere nunc niſi pretio dato.

Anno Tiberii ſeptimo decimo ab Herode Antipa Ioannes Baptiſta tempore paſchali in caſtello Arabiæ trans Iordanem dicto Macheronte decollatus eſt, & corpus eius in Sebaſte vrbe Palæſtinæ ſepultum: caput autem eius humatum eſt in Hieruſalẽ iuxta palatium Herodis.

Anno vero Tiberii octauo decimo dominus crucifixus eſt peractis à principio mundi annis quinq; mille ducentis triginta duobus. Cuius tempore Lucillus quidam excogitauit temperamentum vitri, vt eſſet flexibile & ductile. Qui dum admiſſus fuiſſet à Cæſare, porrexit phialam Cæſari: quam ille quaſi indignatus ad pauimentum alliſit. Artifex autem ſuſtulit phialam de pauimento, quæ ſe tanquam vas æneum complicauerat. Deinde martellũ de ſinu protulit, & phialam correxit. Quo facto Cæſar dixit artifici. Nunquid alius ſcit hanc condituram vitreorum? poſtquam ille iurauit alterũ hoc neſcire, iuſſit eum Cæſar decollari: ne dum hoc fieret cognitum, auri & argenti vileſceret pretium. In multis autem Iudæis accuſantibus Pilatum apud Tiberium, Pilatus in exilium miſſus eſt Lugdunũ, vnde erat oriundus, vt ibi moreretur in opprobriũ gentis ſuæ. Hic ſceleratiſſimus duabus ſororibus intulit ſtuprum. Vbi multis coarctatus iniuriis & tormentis, eo quod ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, propria ſe manu peremit. Eodem tempore mortuus eſt Philippus tetrarcha Ituræ. Mortuus eſt etiam Liſanias tetrarcha Abilinæ: & ita vacabant duę tetrarchiæ.

Fuit iiſdem temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorũ qui libenter quæ vera ſunt audiunt. Et multos Iudæorum, & multos ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis cum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet, non deſeruerunt eum ii qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim iterum viuus ſecundum quod prophetæ vel hæc vel alia de eo futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo dicti ſunt, & nomẽ perſeuerat & genus.

Erat autem quidam Herodes Agrippa vir bellicoſus nepos Herodis tetrarchæ & frater vxoris eius Herodiadis, filius Ariſtoboli filii magni Herodis. Hic venit Romam vt impetraret à Tiberio alteram vacantium tetrarchiam. Tiberius autem cum vidiſſet eum liberalem & fortem, fecit illum adhærere filio ſuo Druſo, cum iam imperium cõtradiderat. Sed mortuus eſt Druſus, & Herodes Agrippa rediit in Iudæam: eo quod Tiberius à ſua præſentia remoueret omnes, qui familiariter adhæſerant Druſo: ne reducerent ei ad memoriam mortem eius, de qua nimium dolebat.

Herodes vero Agrippa paupertate compulſus iterum venit ad Tiberium, & honorifice receptus eſt ab eo: & cum haberet Tiberius duos nepotes vnum de filio Druſo ſcil. Tiberiũ, & alterum de fratre Germanico ſcil. Caium volebat ſibi ſubſtituere Tiberium quem magis diligebat. Herodes autem Agrippa familiarius adhæſit Caio: vnde animum Cæſaris contra ſe aliquantulum concitauit. Quadam vero die dum ſederet Agrippa in curru cum Caio, leuatis in cęlum manibus dixit: Vtinam videã mortẽ importuni ſenis, & te dominum totius orbis, qui idoneus es imperare vniuerſo orbi. Accuſauit autẽ quidam de ſuis Herodẽ Agrippam apud Cæſarẽ, quod orauerat mortẽ imperatoris: vnde Tiberius iuſſit Herodem incarcerari. Quadam autem die in carcere poſitus dum ſtaret iuxta quandam arborem, cuius frondibus bubo inſidebat, acceſſit ad eum vnus de captiuis & dixit ei: Cito à carcere liberaberis, & eris in maximo honore. Quam cito autem videris huius generis auem ſuper te, ſcito te in breui moriturum. Erat homo qui loquebatur hęc in multis peritus. Tiberius autem poſt dies paucos declarauit Caium cognomine Caligulam ſui imperii ſucceſſorem, & mortuus eſt.

Caius regnauit annis quatuor: & Herodem Agrippam, qui ſibi viuente Tiberio

fuerat amiciſſimus eduxit de carcere: & dedit ei duas vacantes tetrarchias: & impoſuit ei diadema & ſublimatum in Regem dimiſit eum in Iudæam. Quod cum videret Herodias ſoror eius inſtabat importune apud virum ſuum Herodẽ tetrarcham, vt iret Romam nomen Regis adepturus. Tunc Herodes & vxor ſua Herodias cum magno apparatu venerunt ad Caium. Herodes autem Agrippa direxit epiſtolam Caio, quod Herodes tetrarcha viuente Tyberio firmauit amicitiam cum Rege Parthorũ, vt eſſet rebellis Romano imperio: & ob hoc congregauerat armorum copiã, quæ ſufficerent ſeptuaginta millib. virorũ. Perlecta epiſtola quaſi aliunde interrogãs inter cætera Caius quæſiuit ab Herode, vtrum eſſent in ciuitatib. ſuis arma quanta audierat à quibuſdã: & non negauit Herodes. Tunc Caius credens verum eſſe quod ſignificauerat ei. Herodes Agrippa relegauit Herodẽ tetrarchã apud Lugdunum in exiliũ: vbi cum Herodiade miſerabiliter mortuus eſt. Hic eſt Herodes qui in paſſione ſpreuit Ieſum, & illuſit ei. Dedit Caius Agrippæ Galilæã, quam habuerat Herodes tetrarcha: & habuit tres tetrarchias. Fuit autẽ Caius in principio regni per bienniũ ſatis modeſtus, ſed poſtea auaritiæ, crudelitati & luxuriæ deditus. In tantum euanuit cor eius, & in tantã prorupit væſaniam, quod in toto imperio iuberet ſe coli tanquam Deus dicens ſe eſſe fratrẽ Iouis. Vnde etiam filiam vnicã, quam habebat, ponebat inter genua idoli Iouis, vt ita cõmunis videretur vtriq;. Miſit ergo imaginẽ ſuam per totum imperium, vt adorarent eam: & in templo Hieruſalem ſtatuam Iouis ſub nomine ſuo poni iuſſit. Hic cum eſſet Romæ, & rediret à ludis Circenſibus conſilio ſenatorum interfectus eſt. Per idem tempus Matthæus Apoſtolus euangelium Hebræo ſermone ſcripſit primus.

Facta eſt autem in vrbe diſſenſio inter curiam & milites & populum. Quia ergo viderant ſenatores ſæuitiam imperatorum & incommoda quæ inde acciderant reipublicæ, voluerunt protinus extirpare imperium, & vrbẽ redigere in ſtatum in quo erat ante Iulium Cæſarem: vt eſſet regimen in arbitrio curię, id eſt, conſulum & ſenatorũ. Econtra milites & populus timentes auaritiam ſenatorum & amantes donatiua imperatorũ, conſtituerunt imperatorẽ Claudium virum manſuetum & pium contradicentibus ſenatorib. & conſulib. Tunc venit Herodes Agrippa & ſapienter ſe gerens inter diſſidentes, eos in vnã redegit concordiã, & Claudium conſtituerunt imperatorẽ: qui regnauit annis quatuordecim. Petiit Herodes Agrippa à Claudio, vt decretũ Caii de ſtatua ſua adoranda reuocaret in irritum: & acquieuit ei atq; præcepit, vt epiſtola reuocationis poneretur in loco conuenienti, vt ab omnib. videretur: quod factum valde placuit Iudæis. Dedit etiam Claudius Herodi quartã tetrarchiam ſcil. Iudæam & factus monarchus venit in Iudæam, & honorifice ſuſceptus eſt à Iudæis, quia in multis ſtudebat placere illis. Iſte Herodes occidit Iacobum fratrẽ Ioannis in dieb. azymorum. Videns autem quia placeret Iudæis cepit Petrum & poſuit eum in carcerem, vt poſt paſcha occideretur à Iudęis. Angelus autẽ domini nocte eduxit Petrum de carcere. Alia autem die cum præciperet vt traderetur Petrus Iudæis, vt occideretur ab eis & per hoc maiorem acquireret gratiam Iudæorum, eo quod tradebat eis occidendum principẽ Apoſtolorum, & non eſſet inuentus in carcere Petrus, iuſſit ad ſe adduci cuſtodes vt occideret eos. Non tamen fecit procurante domino, ne ſolutio Petri noceret alicui. Imminente namq; negotio deſcendit Herodes à Iudæa in Cæſaream Paleſtinæ, vt noceret Tyris & Sydonibus, quibus iratus erat. Quod illi audientes ſtatim ſtudioſe reconciliati ſunt illi. Sequenti autem die Herodes indutus veſte regali auro & gemmis fulgẽte ſedebat pro tribunali apud eos & concionabatur blandiens eis. Erat enim nimia eloquentia decoratus, & aſpectu decorus valde. Cuius oſtenditur gloria, vt maior ſequatur miſeria. Populus autem clamabat, Dei voces & non hominis, id eſt, exhibebant ei laudes Deo debitas & non homini. Et dum adulatoriis fauoribus mulceretur, & oblatos ſibi diuinos honores non reſpueret, reſpiciens ſupra ſe vidit imminentẽ capiti ſuo in funiculo cortinæ Angelum, id eſt, auem bubonẽ mortis eius proximæ nuntium. Et inclinauit ſe ad eos, qui applaudebant ſibi, & dixit eis: En ego Deus veſter morior: & ſtatim percuſſit eum angelus Domini. Qui per quinq; dies magnis doloribus cruciatus conſumptus verinibus expirauit. Reliquit autem filium qui dictus eſt Agrippa, qui non habuit totũ regnum patris ſed partem: habuit enim terram duarum tribuum & dimidiæ vltra Iordanem. Claudius Cæſar pie ſe gerebat erga ſubditos: & audita fama Apoſtolorum, cupiebat videre ſignum aliquod ab eis. Petrus autem admonitus ab Spiritu ſancto de Antiochia, vbi patriarcha erat ab Apoſtolis cõſtitutus, Romã venit: & annis viginti quinq; & menſibus ſex pontificatum tenuit. Tunc Marcus Euangeliſta cum eo veniens euangelium ſcripſit: & reuerſus Alexandriam Chriſtum euangelizauit.

Nero regnauit annis quatuordecim. Hic nimiæ crudelitati & luxurię deditus Deum ſe vocari præcepit: & retibus aureis piſcabatur. Fratrem ſuum occidit atq; matrem, & ſororem ſuam proſtituit & interfecit. Senatum multum extinxit: & multas reipublicæ prouincias amiſit. Romam quoq; ſuccendit, vt Troiani incendii imaginem videret. Huius tempore Iacobus Alphæi à Iudæis Hieroſolymis occiditur. Habebat Nero ſecū Simonē magum cuius maleficiis deludebatur. Qui cum altercationē haberet cum Petro, dicebat eſſe filium Dei. Superuenit autē & Paulus, & ſimiliter cum Simone cōtendebat. Nero autē dedit Paulo poteſtatē prædicandi, & libertatē deambulandi per partes occidentis: placebat enim illi Paulus, eo quod eloquentiſſimus erat. Duodecim annis fuit Paulus Romæ & in partib. occidentis prædicans verbum Dei cum fiducia: quo tēpore in Hiſpania creditur prædicaſſe. Anno imperii Neronis tertiodecimo cum iam nequitia Cęſaris ob* immiſſionē Simonis inualuiſſet, captus eſt Romę Paulus & miſſus in carcerē: vbi multos de familia Neronis conuertit & familiaritatem Senecæ magiſtri Neronis obtinuit: vnde Nero Senecā & Lucanū fecit occidi. Hac tempeſtate Perſius poeta moritur. Quartodecimo anno imperii ſui Petrus & Paulus præcepto Cæſaris cum Simone contendebant. Simon autē promiſitſe volare in cęlum videntib. cunctis, & in ſe diuinā oſtendere maieſtatē. Qui cum à dæmonib. in altum aeris duceretur, adiurante Petro per Deum, Paulo vero orante iuxta templum Romuli dimiſſus crepuit. Ob cuius necē Petrus præcepto Neronis in Vaticano, in vico ſcil. qui eſt extra ciuitatē, vbi fiebāt dolia, crucifigitur: vbi quondam vates ſtuduiſſe dicuntur. Paulus vero tanq̄ ciuis honorabiliori morte in catacumbis gladio decollatur. Vna die mortui ſunt glorioſi principes terræ, quos vnitas fidei & amoris, dum in carne viuerent, ſociauit. Nero autem ob tanta ſcelera viuens priuatur regno: & poſtea miſerabiliter occiditur & à feris deuoratur. Galba regnauit annis duobus fere: nihil dignum memoria fecit.

Veſpaſianus regnauit annis nouem. Iſte in diſciplina militari ſtrenuus fuit. Multas prouincias, quas Nero vel Galba amiſerant, bellādo reipublicę reſtituit. Immemor offenſarum fuit: & conuitia in ſe dicta leuiter tulit. Huius ſecundo anno Titus cum patre Veſpaſiano Hieroſolymā cepit atq; ſubuertit: vbi vndecies centena millia Iudæorum vtriuſq; ſexus fame & gladio perierunt: ſed præter hos centum millia Iudęorum publice ſunt venundata. Hoc factum eſt quia Iudęi ſe cōtra Romanum imperium erigebāt: & vicinis regionibus, vt ipſi quoq; Romanis reſiſterēt ſuadebant. Cauſa quoq; fuit quia ad Veſpaſianum peruenit, quod Iudęi dominum Ieſum Chriſtum innumera illis miracula & beneficia conferentē morte turpiſſima condemnarunt. Cōſummatum eſt bellum annis quatuor, duobus ante Neronē eiectum ab imperio eo miſerabiliter iubente, & poſtea duob. aliis: atq; nō eſt relictus in Hieruſalē lapis ſuper lapidē ſecundum vocē domini: qui flens ſuper ciuitatē iſta prædixerat. Tunc Romani tulerunt arcā teſtamenti Dei, quæ erat in templo & candelabrū ſacrum & menſam & alia ſacra, & intulerunt ea Romani in templum quod erat in loco quod nunc dicitur Lateranum. Poſt Veſpaſianum Otho regnauit diebus nonaginta quinq;. Vitellius menſibus nouem. Hic interfectus eſt à ducibus Veſpaſiani & in Tiberim merſus caruit ſepultura.

Poſt patrem Titus regnauit duobus annis. Iſte in lingua Græca & Latina facundiſſimus extitit: ita vt cauſas Latine ageret, poemata & tragœdias Græce cōponeret. Tantum bellicoſiſſimus fuit, vt equeſtri bello fere omnes lancea ſecū confligentes deiiceret: & in expugnatione Hieroſolymorū ſub patre militans duodecim pugnatores armatos duodecim ſagittarū ictib. vna die confoderet. Porro in imperio tantę bonitatis fuit, vt nullū puniret: ſed etiam conuictis de coniuratione contra ſe dimitteret, atq; in ea familiaritate, qua prius fuerant, eos retineret. Huius etiam inter cætera fuit illud celebre dictum. Dicebat ſe perdidiſſe diem, quo nihil boni ſe feciſſe ſentiebat.

Domitianus frater Titi regnauit annis ſedecim. Hic poſt Neronem ſecundus ſuperbia execrabilis Deum ſe appellari iuſſit: & Chriſtianos proſequi paganis inſtituit. Sub quo Ioannes Apoſtolus in Pathmos inſulam eſt exilio relegatus: vbi Apocalypſin ſcripſit. Iſte multos ſenatorum in exilium miſit ac peremit. cunctoſq;, qui de genere Regis Dauid erant, interfici iuſſit, vt nullus Iudæorum ex regali ſupereſſet origine.

Nerua regnauit anno vno menſibus ſex, in imperio moderatus, natione Hiſpanus, qui æqualem ſe & communē omnibus præbuit: cuius tempore Ioannes Apoſtolus ab exilio Epheſum rediit. Euangelia Matthæi, Marci & Lucæ cōfirmauit Ioannes: atq; euangeliū ſuū efflagitatus ab epiſcopis Aſię nouiſſimus edidit. Multi fuerunt euangeliorū ſcriptores: ſed horū quatuor, id eſt, Matthęi, Marci, Lucę & Ioannis tantum recipit eccleſia Dei ꝓpter eorū excellentiā: & vt quaternarius numerus quadrata ſtabilitate firmetur. Euangeliū enim Matthæi in Hebręa ſcriptū ab Apoſtolis auctoritatem accepit.

Euangelium Marci diſcipuli Apoſtolorum principis Petri ab eodem Apoſtolo eſt cõfirmatum. Euangelium Lucę dicitur euangelium Pauli quod Paulus contulit cum Petro & Iacobo: à quibus etiam eſt roboratum. Ioannes præ cæteris adeo dilectus & conſcius ſecretorum Dei, nouiſſimus euangelium ſuum edidit trib. præteritis approbatis. Hi per quatuor animalia præfigurati fuerunt, Matthæus per hominem, Lucas per vitulum, Marcus per leonem, Ioannes autem per aquilam.

Traianus regnauit annis decem & nouem. Iſte natione Hiſpanus mirabilis virtute Romanum imperium vſq; in orientem longe lateq; † produxit. Babyloniam & Arabiã cepit, & vſq; ad Indiæ fines poſt Alexandrũ acceſſit. Liberalis fuit atq; tranquillus: cuius inter alia dicta illud prædicatur egregium: dum interrogaretur quod nimium circa omnes communis eſſet, reſpondit: talem ſe imperatorem eſſe priuatis, id eſt carentibus dignitate, quales eſſe ſibi imperatores priuatus optaſſet. Hic quatuordecim legiones militum miſit contra occidentem per Romanum imperiũ, vt ciuitates in aliis locis poſitas deſtruerent, & in plano eas conderent, ne contra imperium Romanum rebellarent. Ex quib. duæ venerunt in Hiſpaniam, & ciuitates Sublantiam & Florem deſtruentes non longe ab ipſa Flore vrbem condiderunt, quam legionem vocauerunt. Inceptum eſt hoc à Nerua & à Traiano perfectum. Iuſſit etiam fieri in Hiſpania pontem, qui dicitur Alcantara ſuper flumen Tagum: & quædam alia ob inſigne nominis ſui. Compellente autem ſenatu dedit licentiam gentilibus Chriſtianos perſequẽdi. Tunc Simon Cleophas Hieroſolymorum epiſcopus crucifigitur. Huius regni anno primo Ioannes Apoſtolus ſexageſimo ſexto anno poſt paſſionem domini, ætatis vero ſuæ nonageſimo nono obiit in Epheſo. Galenus medicus Pergamo genitus Romæ clarus habetur.

† *perduxit.*

Petrus & Paulus ſepulti ſunt Romæ. Andreas Patras ciuitate Achaiæ Iacobus Zebedæi in † arce marmorica, & delatus in Galeciam Hiſpaniæ vltimam prouinciam. Ioannes in Epheſo. Philippus cum filiabus ſuis in Hieropoli Aſiæ. Barnabas in inſula Cypri. Bartholomæus in Albone ciuitate maioris Armeniæ. Thomas in Calamina ciuitate Indiæ. Matthæus in montibus Parthorum. Martialis diſcipulus Apoſtolorum Lemouicæ, Lucas in Bithynia, Marcus Alexandriæ in Biuolis. Iacobus Alphæi iuxta templum Hieroſolymis. Tadæus, id eſt, Iudas in Beruto Edeſſenorum. Simon Cleophas, qui & Iudas, poſt Iacobum epiſcopus, ætatis centum viginti annorum crucifixus eſt in Hieruſalem & ſepultus. Titus Cretæ. Creſcens in Galliis Eunuchus Candacis reginæ in Arabia quæ Felix dicitur.

† *arca marmorica,*

Hadrianus regnat annis viginti vno. iſte Traiani gloriæ inuidens prouinciam Orientis Perſis reddidit, & Euphratem flumen Romani imperii finem poſuit. Idem Iudęos ſecundo rebelles ſubiugat: vrbem Hieroſolymam reſtaurat, eamq; ex nomine ſuo Heliam vocat. Per idem tempus Aquila Ponticus, interpres ſecundus poſt ſeptuaginta oritur: & Baſilides hæreſiarcha agnoſcitur.

Antoninus Pius regnauit annis viginti duobus. Iſte ob hoc tale cognomen accepit, quia in toto regno Romano cautionibus incenſis, per clementiam cunctorum debita relaxauit: vnde pater patrię appellatus eſt. Eo regnante Valentinus & Martion hęreſiarchæ produntur.

Antoninus minor cum fratre ſuo Lucio, Aurelio Commodo regnauit annis decem & octo. Hic ad Parthos profectus Seleuciam Aſſyriæ vrbem cum quadringentis millibus hominum cepit. De Parthis & Perſis nobiliter triumphauit. Eo tempore Montanus Cataphrygarum hæreſis auctor & Titianus fuerunt, à quo hæreſes Encratitarum exortæ ſunt.

Antoninus regnauit annis duobus. Ante imperium multa nobiliter geſſit. Commodus regnauit annis tredecim. Hic luxuriæ multæ fuit. Sub hoc Theodotion Epheſius interpres tertius apparuit: cuius editio à ſeptuaginta interpretibus non diſcordat: atq; Ireneus epiſcopus Lugdunenſis in doctrina habetur inſignis. Hoc tempore ſancta Eugenia paſſa eſt.

Ælius Pertinax regnauit menſes ſex. Hic ſupplicante ſenatu vt vxorem Auguſtam & filium Cęſarẽ faceret, renuens ait: ſufficere ſibi debere, quod ipſe imperaret inuitus. Seuerus Pertinax regnauit annis decem & octo. Hic multa bella feliciter geſſit. Parthos vicit. Arabiam obtinuit. Britanniam bellando cepit. Litterarum & philoſophię ſcientiam habuit. Huius tempore Symmachus interpres quartus agnoſcitur. Narciſcus Hieroſolymitanus epiſcopus virtutibus plurimis celebratur. Tertullianus Afer in eccleſia inſignis habetur. Origenes Alexandriæ ſtudiis eruditur.

Antoninus

Antoninus Caracalla Seueri filius regnauit annis ſeptem. In Hyericho quinta editio diuinarum ſcripturarum inuenta eſt, cuius auctor non apparet. Hic Antoninus impatiens libidinis fuit, nouercam ſuam vxorem duxit. Nihil memorabile geſſit.

Macrinus Martianus regnauit anno vno. Nihil memorabile temporis breuitate geſſit: nam ſeditione militari interfectus eſt.

Marcus Aurelius Antonini filius regnauit annis quatuor. Hic dum obſcœniſſime viueret, tumultu militari peremptus eſt. Cuius temporibus ſexta editio inuenta eſt Nicopoli. Sabellius hæreſiarcha oritur. Facundus & Primitiuus & decem fratres eorum martyrio coronantur, eos patre Marcello præcedente martyrio glorioſo.

Alexander regnauit annis tredecim. Perſas glorioſiſſime vicit: ciuibus fauorabilis fuit. Origenes Alexandriæ claruit: in cuius libris multa erronea & infamiæ digna inuenta ſunt. Romæ Vlpianus inſignis eſt habitus.

Maximinus regnauit annis tribus. Iſte primus ex militari corpore abſq; decreto Senatus imperator efficitur, & Chriſtianos perſequitur.

Gordianus regnauit annos ſex. Hic rebellantes Parthos & Perſas afflixit: rediensq; victor de Perſis fraude ſuorum interiit. Huius temporib. Zepherinus teſtimonio Spiritus ſancti in ſpecie columbę ſuper caput eius deſcendentis Romę epiſcopus ordinatur.

Philippus regnauit annis ſeptem. Iſte primus imperator Chriſti efficitur: cuius primo anno milleſimus annus Romanæ vrbis docetur expletus ab vrbe condita.

Decius regnauit anno vno menſibus tribus. Hic cum Philippus patrem & filium interfeciſſet, ob odium eorum in Chriſtianos perſecutionem mouit. Fabianus & Cornelius interfecti ſunt, & multorum ſanguis iuſtorum effuſus eſt. Huius temporib. Antonius monachus in Ægypto claruit: à quo primum monaſteria condita ſunt.

Gallus & Voluſianus filius eius regnant annis duobus. Cornelius Romæ epiſcopus rogatus à quadam matrona Lucina corpora Apoſtolorum de catacumbis leuauit noctu: & poſuit Paulum via hoſtienſi, Petrum vero iuxta locum vbi crucifixus eſt inter corpora ſanctorum epiſcoporum in templo Apollinis in monte Aurelio, in Vaticano palatii Neronis. Sanctus Cyprianus epiſcopus martyrio coronatur. Nouatus Nouatianam hæreſin adinuenit.

Valerianus cum filio Galieno regnauit annis quindecim. Hic Chriſtianis perſecutione commota ſtatim à Sapore Rege Perſarum capitur: ibique luminibus orbatus ſeruitute miſerabili conſeneſcit. Cyprianus primum rhetor, deinde epiſcopus martyrio coronatur. Gotthi quoq; Græciam, Macedoniam, Aſiam, Pontum atq; Illyricum deuaſtant & quindecim annis vendicant.

Claudius regnauit duobus annis. Iſte Gotthos Illyricum Macedoniamq; vaſtantes ſuperat. Paulus Samoſatenus hæreſiarcha agnoſcitur. Aurelianus regnauit annis ſex. Iſte Romanum imperium bellando pene ad fines proprios perduxit: Qui ſicut ſupra nominatus Valerianus dum Chriſtianos perſequitur, à Rege Perſarum capitur: ibique in dedecore ſeneſcit & † fulmine moritur. Tacitus qui & Iacinthus regnauit anno vno cuius vitæ breuitas geſtorum nihil dignum prænotat. Probus regnauit annis ſex. Iſte miles ſtrenuus & ciuilitate præclarus Gallias à barbaris occupatas bellando Romanis reſtituit. Huius temporibus Manichæorum hęreſis orta eſt. Carus cum filiis Carino & Numeriano regnauit duobus annis. Carus poſtquam de Perſis triumphauit, victor circa Tigridem caſtra ponens ictu fulminis cecidit.

Diocletianus & Maximinus & Lucinius regnauerunt annis viginti. diuinis libris aduſtis Chriſtianos toto orbe perſecuti ſunt. Iſti primo gemmas veſtibus calceamentisq; inſeri iuſſerunt: dum ſola purpura retro imperatores vterentur. Hi autem imperatores varia bella geſſerunt. Perſis victis, recepta Meſopotamia poſtea pariter faſtigio imperii relicto regno priuati ſunt.

Galerius & Maximinus Gallus regnarunt annis duobus. Huius breuitas imperii nihil dignum hiſtoriæ contulit. Conſtantius vir tranquilliſſimus Gallia tantum Hiſpaniaque contentus Galerio cæteris partibus ceſſit. Conſtantius vero Auguſtus ſummæ manſuetudinis & ciuilitatis in Britannia obiit. Qui Conſtantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit.

Conſtantinus regnauit annis triginta. Hic viſitatione Petri & Pauli Apoſtolorũ & per beatũ Syluestrũ Papã Chriſtianus effectus, multa in Romano imperio glorioſe peregit. Qui primo Perſis bellũ parauit: ad cuius aduentũ adeo trepidauerunt, vt ſupplices occurrerẽt promittẽtes imperata perficere. Hic primus imperatorũ eccleſiã Chriſti in palatio ſuo, hoc eſt, Laterano fundauit: & licentiam dedit Chriſtianis publice ac libere

congregari: & in honorem Chriſti baſilicas conſtruendi. In tantum in eo concaluit amor Chriſtianæ religionis, vt Romano Pontifici omnia inſignia imperialia perpetuo daret tradens ei ſimul Italiæ regnum. Tunc eſt ſancta eccleſia in Romano antiſtite imperialis regni gloria decorata: vt merito glorioſius & ſpecialius in eo regale ſacerdotium prædicetur. Ipſe vero Conſtantinus perrexit in Græciam, & ibi condens Conſtantinopolim vrbem, quæ prius Byzantium dicebatur, domum regni ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſtatuit. Abhinc cum occidentis & orientis regimine ſacerdotii tenuit Roma imperium occidentis, & Conſtantinopolis imperium orientis. His temporibus per Arrium Alexandrinum presbyterum hæreſis Arriana exoritur. Nicenum etiam concilium trecentorum decem & octo epiſcoporum Conſtantinus ad condemnationem Arrii congregauit. Donatiſtarum ſchiſma oboritur. Per idem tempus crux domini à glorioſa Helena Conſtantini matre Hieroſolymis reperta eſt. Ob cuius etiam deuotionẽ dominus quatuor clauos, qui in corpore ſuo fuerant fixi tanquam aurũ ſplendentes oſtendit. Nicolaus Myrrheæ epiſcopus innumeris miraculis floruit. Conſtantinus autem fere in extremo vitæ ſuæ ab Euſebio Nicomedienſi pſeudoepiſcopo rebaptizatus in Arrianorum dogma conuertitur. Heu proh dolor! bono vſus principio & fine malo: & in eo tantorum titulorum laudes Arriana væſania offuſcantur. Tamen fertur quod in ipſa ęgritudine qua migrauit de corpore, modis omnibus execrabatur inſaniam Arrianam, & fidem catholicam fatebatur.

*quindecim.*

Conſtantius & Conſtans fratres regnauerunt annis † viginti quatuor. Conſtans crudelitate morum terribilis à Perſis multa incommoda perpeſſus eſt. deinde Arrianus effectus Chriſtianos toto orbe perſequitur. Cuius etiam fauore Arrius fretus, dum in Conſtantinopoli ad eccleſiam pergeret contra noſtros in ſancta ſynodo dimicaturus, diuertens per forum Conſtantini ad neceſſariam cauſam, viſcera eius multis videntibus repente ſimul cum vita effuſa ſunt. Hoc tempore facta fuit perſecutio tam crudelis, vt intra vnum annum & menſem, decem & ſeptem millia martyrum pro Chriſto paſſi inueniantur. Per idem tempus Athanaſius & Hilarius doctrina & confeſſione fidei celebrantur. Hæreſis Anthropormophitarum in Syria & Macedonia & Conſtantinopoli naſcitur. Hieronymus presbyter ſedis Apoſtolicæ Cardinalis efficitur. Donatus artis grammaticæ ſcriptor ac præceptor Romæ claruit. Oſſa Andreæ & Lucæ Apoſtolorum Conſtantinopolim transferuntur.

Iulianus regnauit duobus annis. Hic ex clerico effectus imperator, apoſtata & paganus in idolorum cultum conuerſus liberales litteras Chriſtianos docere vel diſcere vetuit, & eis crudeliſſima martyria intulit. Oſſa Ioannis Baptiſtæ multis miraculis coruſcantia fracto mauſoleo per agros ſpargi præcepit. Sed non defuerunt fideles qui collegerant ea: inter quos quidam monachus maximam eorum partem Conſtantinopolim detulit: quædam etiam Hieroſolymam ad Philippum epiſcopum de ipſis ſacris oſſibus detulerunt: vbi digitus index, quo dominum monſtrauit, incorruptus apparuit. Iulianus autem iuſſit oſſa colligi & comburi. Quæ cum non inueniſſent ſatellites eius, quædam alia combuſſerunt, vt viderentur ſatisfacere tyranno. In odium etiam Chriſti templum Hieroſolymis reparare permiſit Iudæis: qui ex diuerſis prouinciis collecti cum noua templi fundamenta iacerent, ſubito adueniente nocte ſaxa magno terræmotu ab imo fundata late excuſſa ſunt. Igneus quoque globus de interiore æde templi egreſſus plurimos eorum ſuo proſtrauit incendio. Quo terrore reliqui pauefacti Chriſtum confitebantur inuiti. Et ne hoc caſu crederent factum, ſequenti nocte in veſtimentis cunctorum crucis apparuit ſignum. Iulianus autem contra Perſas procedens facta congreſſione iaculo ſuſcepto interiit.

Iouinianus catholicus regnauit anno vno. Qui dum ſe ab exercitu imperatorem fieri conſpiceret, & Chriſtianus accipere paganorum imperium recuſaret: & nos inquit totus exercitus, qui per Iulianum nomen Chriſti abiecimus, tecum Chriſtiani eſſe volumus: quibus ille auditis imperialia ſceptra ſuſcepit: firmataq; pace cum Perſis rediit. Qui protinus leges Chriſtianis & priuilegia dedit, quæ illis à Conſtantino conceſſa fuerant: ac templa idolorum claudi præcepit.

*decim.*

Valentinianus & Valens frater eius regnauerunt annis † quatuordecim. Valens collapſus in hæreſim Arrianam multis cauſa erroris fuit. Tunc enim Gotthi apud Iſtrũ bifariam in duobus Fridegerno & Athanarico Regibus diuiſi ſunt. Sed Athanaricus Fridegernum Valentis auxilio ſuperat. Hic ex catholico cum tota gente Gotthorũ Arrianus effectus eſt. Tunc Gulphilas eorũ epiſcopus Gothicas litteras eis reperit, & vtrũque teſtamentum in linguã propriã tranſtulit. Photinus quoque & Eunomius atq;

Apollina-

Apollinarius hæretici eo tempore agnoſcuntur. Damaſus Papa natione Hiſpanus Romæ eccleſiam beati Petri miro opere conſtruxit, & de diuerſis partibus multa ſanctorum corpora congregauit in vrbem.

Gratianus cum fratre Valentiniano regnauerunt annis quinque. Huius anno tertio Theodoſius creatur imperator. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus in catholicorum dogmate claruit. Martinus epiſcopus Turonorum Galliæ ciuitatis multis miraculis claruit. Priſcillianus hæreſim ſui nominis edidit.

Valentinianus iunior cum Theodoſio regnat annis octo. Conſtantinopoli ſynodus centum quinquaginta ſanctorum Patrum colligitur: in qua omnes hęreſes condemnantur. Hieronymus presbyter Bethleem ſanctitate & ſcientia toti mundo claruit. Hic ſcripturas ſacras de Hebręo primus tranſtulit in Latinũ: & abſtulit opprobriũ Latinorũ. Græci enim inſultabãt Latinis, quod ab eis legẽ tanquã riuulus à fonte acceperãt: in quorum odiũ quidam eorum etiã exemplaria corrumpebant. Tunc temporis Priſcillianus accuſante Idatio à Maximo tyranno gladio cęditur. Gentium quoq; templa per totum orbem iubentibus Theodoſio & Honorio ſubuertuntur. Pars etiam corporis Ioannis Baptiſtæ Alexandriæ in templo Serapis per Theophilum epiſcopum à ſordibus mundato, honorifice conditur: & in honore eius baſilica conſecratur.

Theodoſius natione Hiſpanus regnauit ſolus tres annos & cum Honorio & Arcadio regnauit annis tredecim. Per idem tẽpus Ioannes anachoreta inſigniter claruit: qui etiam Theodoſio conſulente de Eugenio tyranno victoriam illi prædixit. Arcadius cum fratre Honorio regnauit annis tredecim. Huius temporibus Auguſtinus epiſcopus doctrina & ſcientia inſignis habetur. Martinus epiſcopus Turonorum obiit. Ioannes quoque Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus illuſtres epiſcopi prædicantur. Donatus etiam Epiri epiſcopus virtutibus inſignis eſt habitus. Qui draconem ingentem expuens in os eius facto ſigno crucis necauit: quem octo iuga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt, ne aerem putredo eius corrumperet. Horum Arcadii & Honorii tempore Alaricus Rex Gotthorum ſororem eorum Placidiam Theodoſii filiam cum ingenti theſauro Romanorum capit primo facta vrbis irruptione: & acceptis multis opibus vrbem incenſam reliquit. Per idem tempus corpora ſanctorum Abacuch & Micheæ prophetarũ diuina reuelatione produntur. Gotthi totam Italiam deprædantur: & Vandali & Alani Gallias aggrediuntur.

Honorius cum Theodoſio fratris filio regnat annis quindecim. Vandali & Alani & Sueui Hiſpaniarum maximam partem occupant. Hac tempeſtate Pelagius aduerſus Chriſti gratiam erroris ſui dogmata prædicat. Ad cuius condemnationem concilium apud Carthaginem ducentorum quatuordecim epiſcoporum congregatur. Hoc tempore Cyrillus epiſcopus Alexandriæ inſignis habetur.

Theodoſius minor Arcadii filius cum Honorio & Valentiniano regnauit annis viginti ſeptem. Hoc tempore Valentinianus iunior Conſtantii filius Rhauennę imperator creatur: qui matrem ſuam Placidiam Auguſtam nuncupauit. Hic gentem efferam Vandalorum & Alanorum ab Hiſpaniis ad Africam tranſtulit. Beatus Auguſtinus Hyponenſis epiſcopus & doctor eximius migrauit ad dominum. Eodem tempore Neſtorius Conſtantinopolitanus epiſcopus perfidiæ ſuæ ſuſcitauit errorem. Aduerſus quem Epheſina Synodus cõgregata eius impia dogmata damnat. Hoc etiam tempore diabolus in ſpecie Moyſi Iudæis in Creta apparens, dum eos per mare ſicco pede ad terram repromiſſionis promittit perducere diabolo prius ingreſſo & ſequentibus Iudæis, qui ſuper vndas iis qui erant in littore incedere videbantur, ſubito diabolus diſparuit, & multi Iudæi mortui ſunt: aliqui autem qui euaſerunt ad Chriſti fidem conuerſi ſunt.

Martianus & Valentinianus regnauere annis ſeptem. Huius tempore ſynodus geritur, vbi Eutiches cum Dioſcoro Alexandrino epiſcopo condemnantur. Caput etiam Ioannis Baptiſtæ, quod duo monachi eodem Ioanne reuelante iuxta palatium Herodis Regis Hieroſolymis ſepultum inuenerant, Conſtantinopolim defertur. Hoc etiam tempore Theodoricus Rex Gotthorum cum ingenti exercitu Hiſpanias ingreditur. In Italia Boetio catholico philoſopho crudeliter interfecto.

Leo maior cum Leone minore regnauerunt annis decem & ſeptem. Ægyptus & Alexandria errore Dioſcori hæretici inſanientes contra Chalcedonenſem ſynodum canina rabie latrant. Hoc tempore Gotthi leges proprias in diſcuſſione cauſarum habere cæperunt. Tunc apparuit hæreſis Acephalorum Chalcedonenſe concilium

impugnantium: qui ideo Acephali, id eſt ſine capite nominãtur, quia quis primus eam hæreſim introduxit non inuenitur. Huius hæreſis peſte plurimi hactenus Orientalium ſunt languentes.

Zenon regnauit annis decem & octo. Ab iſto Acephalorum hæreſis defenditur: & decreta Chalcedonenſis ſynodi abdicantur. Iſte Leonem Auguſtum filium ſuum interficere volens, pro eo mater eius alium figura ſimilem obtulit: ipſumque Leonem occulte clericum fecit: qui in clericatu vſque ad Iuſtiniani tempus vixit. Per idẽ tempus corpus Barnabæ Apoſtoli, & euangelium Matthæi eius ſtylo ſcriptum ipſo reuelante repertum eſt.

Anaſtaſius regnauit annis viginti ſeptem. Iſte Acephalorum errorem vindicans epiſcopos Chalcedonenſis ſynodi defenſores exilio damnat. Euangelia quoque tanquam ab idiotis compoſita euangeliſtis reprehendit, & praue corrigit. Huius octauo decimo anno Gotthi ab Italia in Hiſpania per Theodoricum regnare cæperunt. Eo tempore Traſemundus Rex Vandalorum catholicas eccleſias claudit in Africa & contra catholicos ſæuit, & epiſcopos in exilium in Sardiniam mittit. Per idẽ tempus Carthagine Olympus quidam Arrianus in balneis ſanctam trinitatem blaſphemans tribus igneis iaculis Angelo emittente viſibiliter eſt combuſtus. Barbas quoque quidam Arrianus epiſcopus dum contra regulam fidei quendam baptizans dixiſſet: Baptiza te Barbas in nomine patris per filium in ſpiritu ſancto, ſtatim aqua, quæ fuerat ad baptizandum delata, nuſquam comparuit. Quod aſpiciens qui Baptizandus erat, ad catholicam eccleſiam venit, & iuxta morem fidei, Chriſti baptiſmum ſuſcepit.

Iuſtinus maior regnauit annis nouem. Iſte ſynodi Chalcedonenſis amator Acephalorum hæreſim abdicat. Huius tempore poſt Traſemundum Ildericus ex Valentiniani imperatoris captiua filia genitus in Vandalis regnum ſuſcepit. Qui ſacramento à Traſemundo aſtrictus, ne catholicos in regno ſuo foueret, antequam regnum ſuſciperet epiſcopos ab exilio reuerti iuſſit, eiſque proprias eccleſias reformauit. Hoc tempore Theodericus Italiæ Rex in Hiſpania regnat poſtquam Atalaricus nepos eius ſucceſſit in regnum. Benedictus Abbas virtutum gloria claruit. Athanagildus in Gotthis regnare cœpit. Iuſtinianus regnauit annis triginta nouem. Iſte Acephalorum hæreſim ſuſcipiens omnes in regno ſuo epiſcopos tria Chalcedonenſis concilii capitula damnare compellit. In Alexandria Theodoſiana & Gaiana hæreſis oritur. In Africa Vandali per Beliſarium ducem extinguuntur. In Hiſpania per Athanagildum Romanus miles ingreditur: & in Aſturiis Vandali omnino delentur. In Italia perfidus Totila Rex Gotthorum à Narſe Romano patricio ſuperatur. Per idem tempus Antonii monachi diuina reuelatione corpus repertum Alexandriam perducitur, & in eccleſia Ioannis Baptiſtæ humatur.

Iuſtinus minor regnauit annis vndecim. Narſis patricius poſtquam ſub Iuſtiniano Auguſto Totilanem Gotthorum Regem in Italia ſuperauit, Sophiæ Auguſtæ Iuſtini coniugis minis perterritus Longobardos à Pannonis inuitauit, eoſque in Italiam introduxit. Hic Iuſtinianus ea quæ aduerſus Chalcedonenſem ſynodum fuerunt edita, deſtruxit: & ſymbolum centum quinquaginta patrum, tempore ſacrificii concinendum populo præcepit. Armeni tum primum fidem Dei ſuſcipiunt. Geppides Longobardorum Rex extinguitur. Hac tempeſtate Leouildus Rex Gotthorũ quaſdam Hiſpaniæ regiones ſibi rebelles, in poteſtatem ſui regni ſuperando redegit. Per idem tempus Martinus Braccarenſis Dumienſis epiſcopus apud Galleciam clarus in doctrina fidei prædicatur tempore Theodimiri Regis.

Tiberius regnauit annis ſeptem. Longobardi expulſis Romanis Italiam adeunt. Gotthi per Hermegildum Leouigildum Regis filium bifariam diuiſi mutua cæde vaſtantur.

Mauritius regnauit annis viginti vno. Gregorius Romanæ eccleſiæ Pontifex & doctor eximius habetur. Fulgentius epiſcopus Aſtigitanus in confeſſione Dei & ſcientia claruit. Eodem tempore Sueui à Leouigildo Rege Gotthorum obtenti bello, Gotthis ſubiiciuntur. Iidem quoque Gotthi per Reccaredum religioſiſſimum principem, ad fidem catholicam reuertuntur, ſanctiſſimo patre Leandro epiſcopo Hiſpalenſi virtutibus & ſcientia decorato eiſdem Gotthis ſanctæ prædicationis verbum miniſtrante.

Phocas

Phocas regnauit annis octo. Iſte ſeditione militari imperator effectus Mauritium Auguſtum & multos nobilium interfecit. Huius tempore Praſini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac ſeſe mutua cæde proſternunt: de quo Romanum imperium magnum ſuſtinuit detrimentum. Prælia quoque Perſarum grauiſſima aduerſus rempublicam excitantur: à quib. Romani fortiter debellati ipſam Hieroſolymam amiſerunt. Per idem tempus Romæ templum Pantheon eliminata ſpurcicia idolorum à ſancto Bonifacio Papa in honorem Dei genitricis & omnium martyrum Chriſti conſecratur.

Heraclius temporibus noſtris ſumpſit imperium. Hic Perſas reipublicæ ſubdidit: & crucem Chriſti quam impius Rex Coſdroas aſportauit, Hieroſolymis reſtituit. Huius Heraclii anno ſecundo Siſebutus in Hiſpania regnare incipit: regnumq; octo annis catholice regit. Huius etiam anno decimo Suintila in Hiſpaniis regnare incipit: & totius Hiſpaniæ monarchiam inter Reges Gotthorum tenuit primus: qui decem annis regnauit. Fiunt ergo ab exordio mundi vſque in præſentem diem anni quinque millia octingenti ſeptuaginta in era ſexcẽteſima † ſeptuageſima prima, hoc eſt anno imperatoris Heraclii octauo decimo, & religioſiſſimi Hiſpaniarũ Regis Suintilani vltimo. Reſiduum ſeculi tempus humanæ inueſtigationi incertum eſt. Omnem enim de hac re quæſtionem dominus Ieſus Chriſtus abſtulit dicens: non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Et alibi de die illa dominus, inquit, nemo ſcit neq; Angeli cęlorum, niſi ſolus pater. Vnuſquiſq; ergo de ſuo cogitet tranſitu ne in peccati operibus proruat, ſicut ſacra ſcriptura dicit: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Quando vnuſquiſq; de ſeculo migrat, tunc illi quodammodo conſummatio ſeculi eſt.

*† LXXXI. Non conſentit hac annorum ratio neq; cum Iſidoro neque cum ſuperiobus: ac debuit potius vſque ad XVIII. annum Heraclii numerare ab orbe condito 5965. erã 676. præciſe iuxta eã quam in ſingulis computationem ipſe quidem ſecutus eſt. Onuphrius quidem annos Chriſti numerat 628. atq; adeo erã 666. vſq; ad eum Heraclii annum.*

*EXPLICIT PRIMVS LIBER CHRONICORVM BEATI ISIDORI Hiſpaniarum doctoris archiepiſcopi Hiſpalenſis.*

# LIBER SECVNDVS.

*Prologus.*

DECET viros virtutis præcedentium facta ſæpe ad memoriã reuocare: vt in bonis præteritis diſcant bonis operibus † incubare, & in malis exemplum caueant reproborũ. Præ cunctis malis ſacrilegiũ, luxuriam, & auaritiam debent principes euitare: quibus maxime præteriti principes corruerunt, adeo vt qui multarum gentium victores extiterant, prouocato Deo ſacrilegiis, luxuria & auaritia, ſuis ſubderentur miſerabiliter inimicis. Cauenda eſt etiam ſummopere diſcordia militaris: qua non ſolum Romanum imperium ſubiit detrimentum, verum etiam fortiſſima gens Gotthorum ſæpe gentis & patriæ ſenſit euerſionem: vt in ſubſcriptis libris clarius elucebit. Quis enim inuictiſſimam Gotthorum gentem adeo ſuperauit, vt ipſa Gotthorum diuiſio? quæ tempore Roderici Regis per Iulianum comitem & Witizam, qui Gotthi erant, Gotthorum gloriam & patriam ſubdidit Agarenis? Factum eſt etiam conſimile tempore Ramiri & Veremundi Regum Gotthorum, cum Almanzor Rex Agarenus cum Gotthis militibus exulatis, qui ad ſe confugerunt, Legionenſe regnum inuaſit, & euertit munitiſſimas ciuitates. Si quis percurrat hiſtorias diligenter, fere nunquam inueniet Gotthos præliis ſuperatos, niſi contra ipſos manus quoq; Gotthica repugnaret. In agendis etiam bellorum negotiis eſt iure nobilitas ſanguinis requirenda: quia vt in libro Macchabæorum ſacra teſtatur ſcriptura, multi ex populo Iſraelitico victi ceciderunt in prælio, quia duces eorum ſcilicet Ioſephus & Azarias non erant de genere virorum illorum per quos ſalus facta fuerat in Iſrael. Iam nunc ad geſta Regum Gotthorum manum mittimus chronicorum librum Iſidori doctoris Hiſpaniarum ſecundum in opere proponentes. Tamen ſciendum quod in Regum Gotthorum ſerie, & in Romanorum imperatorum atq; aliorum principum fere vbiq; diſcors annorum numerus ſcriptorum vel æmulorum vitio reperitur. Quapropter ego in huius operis annorum concordiam vtcumq; potui, laboraui. Corrigat tamen catholica veritas, ſi quid forte in his vel aliis opuſculis meis me viderit deuiaſſe,

*† incumbere*

# BEATI ISIDORI

## *Prologus.*

DOMINO & filio chariſſimo Siſnando Regi Gotthorum Iſidorus. Quia de origine Gotthorum, Hiſpanorum, Sueuorum, Vandalorum, & Alanorum, & qualiter rexerunt Hiſpaniam tibi fieri notitiam poſtulaſti: in huius parte duximus laborandum: atque tuæ charitati, prout poſſumus, id ſcribendo breuiter explanare. Tres filios Noe, id eſt Sem, Cham, & Iaphet ſcriptura ſacra eſſe teſtatur. Ab ipſis quippe omnium hominum genus per tripartitam mundi regionem, id eſt, Aſiam, Europam, & Africam eſt diſſeminatum. Filii Sem oriẽtalem partem ſcilicet Aſiam cum filiis Ioniti filii Noe, qui poſt diluuium natus eſt, poſſederunt. Filii Iaphet ſeptentrionalem, ſcilicet, Europam. Filii Cham meridionalem, id eſt Libyam ſiue Africam inhabitauerunt. Sed tempore procedente terram Chanaam in Aſia violenter obtinuerũt. Nati ſunt filii Iaphet, Magog, & Tubal & alii. De Magog inde Gotthi, de Tubal vero Hiſpani & Itali orti cenſentur. Primus Rex Hiſpanorum extitit nomine Hiſpanus, qui famoſam vrbem condidit, quam ex ſuo nomine Hiſpalim nominauit: & in ea ſolium regni ſibi firmauit: à qua etiam Hiſpania nomen traxit. Dicitur & ab Ibero flumine Iberia, & ab Heſpero ſidere Heſperia. Hiſpanis tandem regnum ſuum ſegniter gubernantibus, principantibus Petreio & Afranio, Iulio Cæſari, & Romanis omnino ceſſerunt: non tamen patria ſed regni honore caruerunt. Olim pro magna parte ſui Romanis Hiſpania iam ceſſerat Bruto & Ptolemone ducibus exercitus Romanorum. Ante biennium autem Romanæ vrbis irruptionis era CCCCXLIIII. excitatæ per Stiliconem ducem Romanum gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum tranſiectoque impetu ad Pyrenæum vſque perueniunt. Cuius obice per Didymum & Verinianum Romanos nobiliſſimos ac potentiſſimos fratres ab Hiſpania trib. annis repulſi per circuniacentes Galliæ prouincias vagabantur. Sed poſtquam qui priuato præſidio Pyrenæi clauſtra tuebantur, ob ſuſpicionem tyrannidis inſontes & nulla culpa obnoxii, à Conſtantio Imperatore occidentis interfecti ſunt, memoratæ gentes Hiſpaniarum prouincias diſrumpunt. Sueui à Germanis duxerunt originem, qui à flumine Sueuo nominantur. Vandali à Galliis venerunt, & à Vandalico fluuio nominantur. Alani ab Hunnis orti ſunt: & † Alanus fluuius eis nomen impoſuit.

*lanus*

Era CCCCXLVII. Alani, Sueui & Vandali Hiſpanias occupantes, neces vaſtationeſque cruentis diſcurſibus faciunt. Vrbes incendunt, ſubſtantias direptas exhauriunt: ita vt humanæ carnes in fame deuorarentur à populis. Edebãt filios ſuos matres. Beſtiæ quoque morientium gladio fame ac peſte cadaueribus aſſuetæ etiam in viuorum efferebantur interitum. Atque ita quatuor plagis per totam Hiſpaniam ſæuientibus diuinæ iracundiæ per prophetas ſcripta olim prænuntiatio adimpletur.

Era CCCCXLVIII. poſt plagarum diram perniciem, quibus Hiſpania cæſa eſt, tãdem barbari ad pacem Deo miſerante conuerſi in poſſeſſionẽ ſibi eius prouincias diuidunt. Galleciam enim Vandali & Sueui occupant. Alani Luſitaniam & Carthaginẽſem prouinciam. Vandali autem cognomine Silingi relicta Gallecia poſtquam Tarraconẽſes inſulas deprædati ſunt, regreſſi prouinciam Beticam ſortiuntur. Hiſpani autem per ciuitates & caſtella reſidua plagis afflicti barbarorum dominantium de Romanorum abſentia & tuitione plangentes, ſeſe miſerabiliter ſeruituti ſubiiciunt. Primus autem in Hiſpania Gundericus Rex Vandalorum præfuit regnans in Gallecię partib. annis decem, & octo. Qui dum rupto fœdere Sueuorum gentem in Eruaſis mõtibus obſideret, relicta obſidione Sueuorum Balearicas Tarraconenſis prouinciæ inſulas deprædatur. Deinde Carthagine Spartaria euerſa cum omnib. Vandalis ad Beticam tranſit. Hiſpalim diruit acrique cæde in direptionem mittit. Qui cum auctoritate regiæ poteſtatis irreuerenter manus in baſilicã ſancti Vincentii martyris ciuitatis ipſius extendiſſet, mox Dei iudicio in foribus templi dæmonio correptus interiit.

Era CCCCLXVII. Giſericus frater Gũderici ſuccedit in regnũ annis quadraginta. Qui ex fide Catholica effectus apoſtata in Arrianam fertur primus tranſiſſe perfidiam. Hic

de Beticæ

de Beticæ prouinciæ littore cum Vandalis omnibus eorumq; familiis ad Mauritaniam & Africam relictis Hiſpanis transfretauit. Cui Valentinianus iunior occidentis imperator non valens obſiſtere pacem mittit: & partem Africæ, quam Vandali poſſederãt, tanquam pacifice dedit, conditionibus ſacramenti ab eo acceptis ne quid vltra inuaderet. Ille autem de cuius amicitia iam nihil ambigebatur, violata ſacramẽti religione Carthaginem dolo pacis inuadit: omneſq; opes eius excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus in ius proprium vertit. Deinde Siciliam deprædatus Panormum obſedit: & Arrianam peſtilentiam per totam Africam intromittit. Sacerdotes ab eccleſia pellit: martyres plurimos efficit, & iuxta prophetiam Danielis demutatis ſanctorũ myſteriis eccleſias Chriſti hoſtibus tradidit. Nec iam diuini cultus loca, ſed ſuorum eſſe habitacula iuſſit. Aduerſus quem Theodoſius minor orientis imperator bellum parauit, quod ad effectum non venit. Hunnis enim Thraciam Illyricumq; vaſtantib. exercitus ad Vandalos miſſus, ad defendendos Thraces Illyrianoſque à Sicilia reuocatur. Maiorianus autem imperator de Italia in Hiſpaniam veniens, cũ in Carthaginenſi prouincia aliquantas naues ſiue ad tranſitum aduerſus Vandalos præparaſſet, eas de littore Carthaginenſi commoniti Vandali per proditores arripiunt. Sicque Maiorianus à ſua diſpoſitione fruſtratus Italiam reuertitur, atq; à Recimiro patritio fraude circumuentus occiditur. Quo comperto Giſericus non contentus ſolis Africæ vaſtationibus, nauibus aduectus Romam ingreditur, direptiſque per quatuordecim dies opibus Romanorum relicta Vrbe vxorem Valentiniani & filias eius & multa millia captiuorum ſecum tulit. Mox Carthaginem redit: & per legatos ab Imperatore poſtulata pace, Valentiniani relictam Conſtantinopolim remittit: quarum vnam ex filiabus ſuis filio ſuo Vgnerico iure matrimonii copulauit. Sicque poſt multarum prouinciarũ clades Chriſtianorumque ſpolia atq; neces moritur regni ſui anno XL.

Era DVII. poſt Giſericum Vgnericus Giſerici filius regnat annis ſeptem, menſib. quinque habens in coniugio Valentiniani filiam, quam pater eius ex Roma cum matre captiuam adduxerat, qui & ipſe Arriano ſuſcitatus furore catholicos per totam Africam atrocior patre perſequitur, eccleſias tollit, ſacerdotes & cuncti ordines clericos in exilium mittit. Monachos quoque atq; laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegauit, martyres fecit, cõfeſſoribus linguas abſcidit: qui linguis abſciſſis perfecte vſque ad finem locuti ſunt. Tunc Lætus Neptenſis ciuitatis epiſcopus glorioſe martyrio coronatur. Qui dum Arriani contagii labe variis pœnis maculari non potuit, victor repente cœlos obtinuit. Vgnericus autem inter innumerabiles ſuarum impietatũ ſtrages, quas in catholicos exercuerat, octauo regni ſui anno, vt Arrius pater eius interioribus cunctis effuſis miſerabiliter vitam finiuit.

Era DXIIII. Guntamundus ſuccedit regnans annos quatuordecim. Qui ſtatim eccleſiæ pacem reformans catholicos ab exilio reuocauit.

Era DXXVIII. Traſemundus ſuccedit regnans annis viginti ſeptem menſibus quatuor. Iſte Arriana inſania plenus catholicos inſectatur, eccleſias claudit, in Sardiniam exilio ex omni Africana eccleſia centum viginti epiſcopos mittit. Carthagine moritur. Cuius tempore Fulgentius Ruſpenſis epiſcopus in noſtro dogmate claruit.

Era DLV. Hildericus Hugnerici filius ex Valentiniani imperatoris filia genitus ſucceſſit regnans annis nouem menſib. tribus. Iſte ſacramento à prædeceſſore ſuo Traſemundo adſtrictus ne catholicis in regno ſuo pacem daret, aut eccleſias aperiret, aut priuilegia reſtitueret, priuſquam regnaret ne religionem ſacramenti violaret, præcepit ſacerdotes catholicos ab exilio reduci & eccleſias aperiri. Quem Gilimer ſumpta tyrannide regno priuat: & cum filiis carceris cuſtodiæ mancipat.

Era DLXIIII. Gilimer regnum tyrannide quatuor annis tenuit, multos nobilium Africæ prouinciæ crudeliter extinguens, multorumque ſubſtantias tollens. Aduerſus quem Iuſtinianus imperator, ex viſitatione viſionis nocturnæ Læti epiſcopi, qui ab Vgnerico Rege Vandalorum martyr fuerat factus, exercitum cum Beliſario magiſtro militum duce mittit. Initoq; idem Beliſarius prælio Guntemirũ & Gebamundũ Regis fratres primo prœlio ſuperatos interficit. Deinde ipſum Gilimirum in fugam verſum Africam capit. In ipſo autem Beliſarii occurſu priuſquam congreſſio fieret Gilimer tyrannus Hildericum Regem cum quibuſdam generis eius affinibus occidit. Beliſarius autem Gilimirum tyrannum capit: eumque cum deuitiis ex rapinis prouinciarum & Africæ conquiſitis Conſtantinopolim Iuſtiniano Imperatori adducit. Sicque regnum Vandalorum cum populo atque ſtirpe deletur era DLXVIII. quod permanſit centum & quadraginta nouem annis ab anno primo Gunderici Regis vſq; ad interitũ Gilimiri.

*Explicuit hiſtoria Vandalorum.*

# SVEVORVM HISTORIA.

ERA CCCCXLVI. Sueui principe Hermerico cum Alanis & Vandalis ſimul Hiſpaniam ingreſſi ſunt, atque omnem Galleciam cum Vandalis occupauerunt. Vandalis autem Africam tranſeuntibus Galleciam ſoli Sueui ſortiti ſunt: quibus præfuit in Hiſpaniis Hermericus annis triginta duobus. Galleci autem in parte prouinciæ regno ſuo vtebantur. Quos Hermericus aſſidua vaſtatione deprædans tandem morbo oppreſſus pacem cum eis fecit & Recchilanem filium ſuum in regno ſuo ſubſtituit. Qui cum magna parte exercitus miſſus Andebotum Romanæ militiæ ducem cum multis copiis ad Singilium Beticæ prouinciæ fluuium inito bello proſtrauit magnis eius auri argẽtique copiis occupatis. Inde Emeritam obſeſſam ingreditur: atque obtentam proprio regno aſſociat. Hermericus autem pater eius per annos ſeptem diuturno languore affectus interiit.

Era CCCCLXXVIII Hermerico defuncto Recchila filius eius regnat annis nouem. Qui poſt obitum patris Hiſpali obtenta Beticam & Carthaginenſem prouincias in ſuam poteſtatẽ reducit. Atq; inde Emeritæ ſub cultu, vt fertur, gentilitatis vitam finiuit.

Era CCCCLXXXVII. Recciarius Recchilanis filius catholicus factus ſuccedit in regnum annis nouem accepta in coniugium filia Theodoredi Regis Gotthorum. Hic in principio ſui regni confortatus Vaſcones deprædatur: moxque ad Theodoredum ſocerum ſuum profectus, Cæſarauguſtanam regionem remeans Gotthis auxiliantib. vaſtat. Tarraconenſem prouinciam, quæ Romano imperio deſeruiebat, inuadit. Carthaginenſes regiones quas Recchila pater eius Romano reddiderat, in prædam mittit. Ad vltimum, dum Theudericus Rex Gotthorum in Hiſpaniam ingrederetur, inito prælio aduerſus eum, primo fugatur, deinde captus occiditur.

Era CDXCVI. extincto Recciario, Sueui, qui remanſerant in extrema parte Galleciæ, Maſdram Maſſilæ filium Regem ſibi cõſtituunt. Mox bifariam diuiſi, pars Frantanem, pars Maſdram Regem appellant. Nec mora Frantane mortuo, Sueui qui cum eo erant Recchimundum ſequuntur, & cum Maſdra pace inita, pariter partes Luſitaniæ deprædantur. Maſdra autem tertio regni anno à ſuis iugulatur.

Era CDXCIIX. Maſdra interfecto inter Frumatium & Recchimundum oritur de regni poteſtate diſſenſio: ſed Frumarius cum manu Sueuorum, quam habebat, Flauienſis vrbis conuentum graui euertit excidio. Recchimundus autem vicina ſibi pariter Aurienſium, & Lucenſis conuentus maritima populatur. Duobus annis poſt Maſdram regnauit Frumarius.

Era DII. Frumario mortuo Remiſmundus omnib. Sueuis in ſuam ditionem regali iure reuocatis, pacem cum Gallecis reformat, legatos fœderis ad Theudericũ Regem Gotthorum mittit, à quo etiam per legatos & arma & coniugem, quã haberet, accepit. Inde ad Luſitaniam tranſit. Conimbriam pace deceptam diripit. Oliſbona quoq; ab eo occupatur ciue ſuo, qui illi præerat, tradente Luſidio. Huius tempore Aiax natione Galata effectus apoſtata. Arrianus inter Sueuos Regis ſui auxilio, hoſtis catholicæ fidei, & diuinæ Trinitatis emergit, de Gallicana Gotthorum regione hoc peſtiferum virus afferens & totam gentem Sueuorum lethalis perfidiæ tabe inficiens. Multis deinde Sueuorum Regibus in Arriana hæreſi permanentibus, (fuerunt ex tunc Reges Sueuorum ſeducti nonaginta annis: quorum actus & nomina hic minime deſcribuntur) tandem regni poteſtatem Era DC. Theudemirus ſuſcepit. Qui confeſtim Arrianæ impietatis errore deſtructo Sueuos catholicæ fidei reddidit, innitente Martino monaſterii Dumienſis epiſcopo fide & ſcientia claro, cuius ſtudio & pax eccleſiæ ampliata eſt, & multa in eccleſiaſticis diſciplinis Galleciæ regionibus inſtituta.

Era DCVIII. Poſt Theudemirum Miro Sueuorum princeps efficitur, regnans annis tredecim. Hic ſecundo regni ſui anno bellum contra † Rucones intulit. Deinde
Vaſcones in auxilium Liuuigildo Gotthorum Regi aduerſus rebellem filium expugnandũ Hiſpalim pergit, ibique terminum vitæ clauſit.

Huic Heboricus filius in regnum ſuccedit anno vno, quem adoleſcentem Andeca, ſumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monaſterio damnat, pro quo non diu eſt dilata ſententia. Nam Liuuigildus Gotthorum Rex Sueuis mox bellum inferens, obtẽto eodem regno, Andecanem deiecit, atq; detonſum poſt regni honorem,

norem, presbyterii officio mancipauit. Sic enim oportuit, vt quod ipſe regi ſuo fecerat, rurſus idem congrua viciſſitudine pateretur. Regnum autem Sueuorum deletum in Gotthos transfertur, quod manſiſſe CLXXVII. annis ſcribitur.

*Explicit hiſtoria Sueuorum.*

# GOTTHORVM HISTORIA.

GOTTHORVM antiquiſſima origo de Magog Iaphet filio orti cũ Scythis vna probantur origine: vnde non longe vocabulo diſcrepant. Demutata enim ac detracta littera Getæ quaſi Scythę ſunt appellati. Hi igitur Septentrionis glacialia iuga inhabitantes, quæque ſunt ardua montium cum cæteris gentib. poſſidebant. Quib. ſedib. tempeſtatibus & impetu gentis Hunnorum pulſi Danubium trãſeuntes Romanis ſe dederunt. Sed dum iniurias eorum non ſuſtinerẽt, indignati arma ſumunt, Thraciam irruunt, Italiam vaſtant, obſeſſam vrbem Romã capiunt: Gallias aggrediuntur, patefactiſq; montib. Pyrenęis Hiſpaniam vſq; perueniunt: & ibi ſedem vitæ atq; imperium locauerunt. Populi natura prompti, ingenio alacres, conſuetudine viribuſq; freti, robore corporis validi, ſtaturæ proceritate magni vel medii, geſtu habituq; conſpicui, eloquio clari, manu prõpti, duri vulnerib. ſicut ait poeta de ipſis: Mortẽ contemnunt laudato vulnere Getæ. Quib. tanta extitit magnitudo bellorũ, & tam excellens glorioſæ victoriæ virtus, vt Roma ipſa victrix omniũ populorum ſubacta captiuitatis iugo Gotthicis triumphis accederet: & domina cunctarũ gentium illis vt famula deſeruiret. Hos Europæ omnes pertimuere gentes, Alpiũ his ceſſere † obices. *duricies* Vandalica & ipſo crebro opinata barbaries non tantum pręſentia eorũ exterrita, quantũ opinione fugata eſt. Gotthorum vigore Alani extincti ſunt: Sueui quoq; hactenus intra inacceſſos Hiſpaniarum angulos coarctati, etiã nunc eorum armis periculum finis experti ſunt: & regno q̃ deſidioſo torpore tenuerunt, turpiori nunc diſpendio caruerunt: quanquã ſe tenuiſſe hucuſq; valde ſit mirum, quo ſine experimento defenſionis carere potuerunt. Sed quis poterit tantã Gotthicæ gẽtis liberalitatis & viriũ dicere magnitudinem? Etenim multis gentib. non ſolũ larga munera contulerunt, ſed & magna reliquerunt gentium precib. inclinati. His tamen libertas magis de congreſſione bellica quam de petita pace contingit: atq; vbi ſe illis neceſſitas dura oppoſuit, vires eos potius adhibuiſſe q̃ preces. Porro in armorum artib. ſpectabiles ſunt: & non ſolũ haſtis ſed & iaculis equitando confligunt: nec equeſtri tantũ pręlio ſed & pedeſtri incedunt. Veruntamẽ magis equitum pręceleri curſu confligunt: vnde poeta Getes, inquit, quo pergit equo. Exercere.n. ſeſe telis ac præliis præludere maxime diligunt. Ludorũ certamina vſu quotidiano gerunt. Hac ſola armorũ experientia huc vſq; carebant, q̃ claſſica bella in mari gerere non ſtudebant. Sed poſtquã Siſebutus princeps regni ſumpſit ſceptra ad tantã felicitatis virtutem profecti ſunt, vt non ſolum terras, ſed & ipſa maria ſuis armis adeant: ſubiectuſq; ſeruiat illis Romanus miles, cui ſeruiere tot gẽtes. Eos magis Getas q̃ Gog Magog appellare cõſueuerant. Gens fortiſſima hæc à qua Iudæa terra vaſtata deſcribitur. Interpretatio namq; nominis eius in linguã noſtram recte quoq; ſignificatur fortitudo. Quia reuera nulla gens in orbe fuit, quę Romanũ imperium adeo fatigauerit vt hi. Iſti ſunt.n. quos etiam Alexander vitandos pronunciauit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. Per multa quippe retro ſecula ducibus vſi ſunt, poſtea Regibus: quorum oportet tempora per ordinem curſim exponere: & quo nomine actuque regnauerint de hiſtoriis libata retexere. ¶ Anno ante eram conditã duodecimo dum pro arripiendo Reipub. imperio Magnus Pompeius & Iulius Cæſar arma ciuilia cõmouiſſent, Gotthi ad præbendũ Pompeio auxilium in Theſſaliam aduerſus Cæſarem pugnaturi venerunt. Vbi dũ in Pompeii exercitu Æthiopes, Indi, Perſæ, Medi, Græci, Armeni, Scythæ, ac reliquæ orientis gentes euocatæ aduerſus Iulium dimicaſſent, iſti præ cæteris Cæſari fortius reſtiterunt. Quorum Cæſar copia & virtute turbatus, fertur fugam meditatus eſſe, niſi nox prælio finẽ dediſſet. Tunc Cæſar ait: Nec Pompeiũ ſcire vincere, nec Cæſarem poſſe vinci. Nam ſi Pompeius vincere noſſet, hodie cũ tam aſperis viris Cæſarem ſuperaſſet. ¶ Era † CCLXXXVI. anno ſecundo imperii Valeriani & *forte ccxcvi* Galieni Gotthi primo deſcenſis Alpibus quib. inhabitabãt, Græciã, Macedoniã, Pontũ, Aſiam, atq; Illyricum vaſtauerũt. Ex quib. Illyricum & Macedoniam quindecim annis

ferè tenuerunt. Deinde à Claudio imperatore ſuperati ſedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Auguſtum, pro eo quod tam fortiſſimam gentem à finib. reipublicæ remouiſſet, inſigni gloria honorantes in foro illi aureum clypeũ, in Capitolio auream ſtatuam collocauerunt.

ccclxviiii Era † ccclxii. tempore Cõſtantini Chriſtiani imperatoris Gotthi Sarmatarum regionem aggreſſi copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus, vehementi virtute cuncta gladio, & deprædatione vaſtantes. Aduerſus quos idem Conſtantinus aciem inſtruxit, ingentique certamine vix ſuperatos vltra Danubium expulit, de diuerſis gentibus virtutis gloria clarus, ſed de Gotthorum victoria amplius glorioſus. Quem Romani acclamante ſenatu publica laude proſequuti ſunt, quod tantam gentem vicerit, quod patriam rempublicam reformauerit.

ccccviii Era † cccc. anno imperii Valentis quinto primus Gotthorum gentis adminiſtrationem ſuſcepit Athanaricus regnans annos xiii. qui perſecutione crudeliſſima aduerſus fidem Chriſti commota, voluit ſe exercere contra Gotthos qui in gente ſua Chriſtiani habebantur, ex quib. plurimos, qui idolis immolare nõ acquieuerũt, martyres fecit: reliquos autem multis perſecutionibus affectos, dum pro multitudine horreret interficere, dedit licentiam, immo magis coegit de regno ſuo exire, atque in Romani ſoli migrare prouincias.

ccccxv Era † cccciii. anno octauo Valentis imperatoris Gotthi in Iſtrium aduerſus ſemetipſos in Athanarico & Fridigerno diuiſi ſunt, alternis ſeſe cædibus depopulantes. Sed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris ſuffragio ſuperat. Huius rei gratia legatos cum muneribus ad eundem imperatorem mittit, & doctores propter ſuſcipiendam Chriſtianæ fidei regulam poſcit. Valens autem à veritate catholicæ fidei deuius, & Arrianæ hæreſis peruerſitate detentus, miſſis hæreticis ſacerdotibus, Gotthos perſuaſione nefanda ſui erroris dogmati adgregauit, & in tam præclaram gentem virus peſtiferum ſemine pernicioſo transfudit, ſicq; errorem quem recens credulitas ebibit, tenuit diuque ſeruauit. Tunc Gulfilas eorum Gotthorum epiſcopus Gothicas litteras condidit, & ſcripturas noui ac veteris Teſtamenti in eandem linguam conuertit. Gotthi autem ſtatim vt litteras & legem habere cæperunt, inſtruxerunt ſibi dogmatis ſui eccleſias, talia iuxta eundem Arrium de ipſa diuinitate documenta tenentes, vt crederent: Filium Patri maieſtate eſſe minorem & æternitate poſteriorem. Spiritum autem ſanctum nec Deum eſſe, neque ſubſtantiam Patris exiſtere, ſed per filium creatum eſſe, vtriuſque miniſterio deditum, & amborum obſequio ſubditum. Aliam quoque Patris ſicut perſonam ſic & naturam aſſerentes: aliam Filii, aliam denique Spiritus ſancti, vt iam non (ſecundum ſanctæ ſcripturæ traditionem) vnus Deus & dominus coleretur. Sed iuxta idolatriæ ſuperſtitionem tres dii venerarentur. Cuius blaſphemiæ
ccxiii malum per deceſſum temporum, Regumque ſucceſſum annis † ccxxiiii. tenuerunt. Qui tandem reminiſcentis ſalutis ſuæ renunciauerunt inditæ perfidiæ & per Chriſti gratiam ad vnitatem fidei catholicæ per orthodoxum patrem Leandrum Hiſpalẽſem antiſtitem peruenerunt.

ccccxvi Era † ccccviii. anno tertio decimo Valentis imperatoris Gotthi qui primũ Chriſtianos à terra ſua expulerant, rurſus ipſi multis acribus tempeſtatibus Dei iudicio fatigati ab Hunnis cum Rege ſuo Athanarico expulſi ſunt, tranſitoque Danubio cũ vim ferre non poſſent Valentis imperatoris, ſeſe non depoſitis armis tradunt, & Thraciam ad inhabitandum accipiunt. Sed vbi viderunt ſe opprimi à Romanis contra conſuetudinem propriæ libertatis, ad rebellandum coacti ſunt. Thraciam ferro incendiiſq; depopulantur, deiectoque Romanorum exercitu ipſum Valentem iaculo vulneratum in quadam villa fugientem ſuccenderunt, vt merito ipſe ab eis viuus temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas ignibus æternis tradiderat per errorem. Inuenerunt autem eo prælio Gotthi priores Gotthos, quos dudum propter fidem à terra ſua expulerant, & voluerunt eos ſibi ad prædæ ſocietatem coniungere. Qui cum non acquieuiſſent, aliquanti interfecti ſunt. Alii montuoſa loca tenẽtes & refugia ſibi qualiacumque conſtruentes, non ſolum perſeuerauerunt Chriſtiani catholici, ſed etiam in concordia Romanorum à quibus dudum excepti fuerant permãſerũt. Tunc Gotthi contra Hungaros arma dirigentes innumerabilem ex eis multitudinem hoſtiliter necauerunt.

ccccxix Era † ccccxiii. anno imperii Theodoſii Hiſpani iii. & Valentiniani primo Athana-

Athanaricus cum Theodoſio ius amicitiamque diſponens mox Conſtantinopolim pergit, ibique quinto decimo die poſtquam fuerat à Theodoſio honorabiliter ſuſceptus, interiit. Gotthi autem proprio Rege defuncto aſpicientes benignitatem Theodoſii imperatoris inito fœdere, Romano ſe imperio tradiderunt & fuerunt cum Romanis † ſeptem annis. XXVIII.

Era CCCCXX. anno imperii Theodoſii IV. Gotthi patrocinium Romani fœderis recuſantes, Alaricum Regem ſibi conſtituunt, indignum iudicantes Romanæ eſſe ſubditos poteſtati, eoſque ſequi, quorum iam pridem leges imperiumque reſpuerant, & de quorum ſe ſocietate prælio triumphantes auerterant.

Era † CCCCXXXVII. anno imperii Honorii & Arcadii quarto Gotthi in Alarico, & CCCCXVI. Radagaiſo diuiſi, dum ſemetipſos in duabus regni partibus variis cædibus lacerarent, ob excidium Romanorum concordes effecti, conſilium in commune conſtituunt, parique intentione ad prædandas quaſcunque regiones Italiæ ab inuicem diuiduntur.

Era CCCCXLIII. anno Honorii & Arcadii X. Rex Gotthorum Radagaiſus genere Scytha cultui idolatriæ deditus, barbaricæ immanitatis feritate ſæuiſſimus, cum ducentis armatorum millibus Italiæ partes vehementi vaſtatione aggreditur, ſpondens in contemptum Chriſti Romanorum ſanguinem diis ſuis libare, ſi vinceret. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in montuoſis Thuſciæ locis circunclusus fame eſt potius, quam ferro conſumptus. Ipſe poſtremo Rex captus & interfectus eſt.

Era CCCCXLVI. anno imperii & Arcadii XV. extincto Radagaiſo Alaricus conſors regni nomine quidem Chriſtianus, ſed profeſſione hæreticus, dolens tantam multitudinem Gotthorum à Romanis extinctam in vindictam ſanguinis ſuorum, aduersus Romam prælium geſſit, obſeſſamque impetu, igne gladiis irrumpit: ſicq; vrbs cunctarum gentium victrix, Gotthicis triumphis victa ſuccubuit, eiſque capta ſubiugataque ſeruiuit. Tam autem Gotthi clementes ibi extiterũt, vt votum antea darent, quod ſi ingrederentur vrbem quicumque Romanorum in locis Chriſti inueniretur, in vaſtationem vrbis non mitteretur. Poſt hoc igitur votum, aggreſſi vrbem omnibus & mors & captiuitas indulta eſt, qui ad ſanctorum limina confugerunt. Sed & qui extra locum martyrum erant, & nomen Chriſti & ſanctorum nominauerunt, & ipſis ſimili miſericordia pepercerunt. In reliquis autem, etſi præda hoſtium patuit, feriendi tamẽ immanitas refrænata eſt. Incurſantibus autem in illa vaſtitate per vrbem Gotthis, dum quidam potens virginem conſecratam ætate prouectam reperiſſet, eamque honeſte admoneret, vt ſi quid apud ſe auri argentique eſſet proferret: illa fideli conſcientia quod habuit protulit: cumque ille vaſorum formam & pulchritudinem, ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait: Hæc vaſa mihi de ſacrario Petri Apoſtoli depoſita ſunt: pręſume, ſi audes. Ego ſacra hoſti dare non audeo. Gotthus ille ad nomen Apoſtoli magno pauore perterritus, Regi hoc per nuntium refert, qui confeſtim Rex reportari omnia ad ſacrarium ſancti Petri, per virginem illam ſumma cum reuerentia iuſſit dicens: Cum Romanis geſſi bellum non cum Apoſtolis Dei. Rediit igitur virgo reuerentiſſimis officiis honorata, redeunt & cum illa omnes, qui ei ſe ſociauerant ſuper capita ſua vaſa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes. Exercitus vndique iuſſu Regis ob defenſionem armatorum cuſtodientes concurrunt. Vndique ad voces canentium de latibulis agmina Chriſtianorum. Concurrunt etiam & pagani, atque admiſti inter eos, dum ſeruos Chriſti ſe eſſe fingunt, etiam & ipſi calamitatis excidium euaſerunt. Hac tempeſtate Gotthi Placidiam Theodoſii principis imperatoris filiam, Arcadii & Honorii imperatorum ſororem, cum ingenti auri argentiq; theſauro Romæ capiunt. Anno ab vrbe condita MCLXIIII. irruptio vrbis per Alaricum facta eſt: adeptiſq; multis opibus Romanorum tertia die, incẽſa euerſaque in partibus, vrbe diſcedunt. inde conſcenſis nauibus, cum ad Siciliam exiguo ab Italia freto diuiſam poſt tantam victoriam maior eorum pars ſimul cum Alarico Rege & potentiorib. ducibus tranſire diſponerent, infeſto mari periclitati multum exercitum perdiderunt.

Quibus tanta fuit gloria de Romanæ vrbis obtentu, vt in eius comparatione nihil ſe mali paſſos tempeſtate illa arbitrarentur, damna naufragii euentu victoriæ compenſantes. Mors Alarici confeſtim ſequuta vigeſimo octauo regni anno defunctus eſt in Italia.

Era † CCCCXLVIII. anno imperii Arcadii & Honorii XII. Alarico poſt captam vrbem defuncto Athaulfus à Gotthis Italiæ regno præficitur annis ſeptem. CCCCXLVIIII.

Iſte quinto regni anno de Italia recedens,Gallias adiit. Placidiam Theodoſii imperatoris filiam quam Romæ Gotthi ceperant,coniugem ſibi aſſumpſit. In qua prophetia Danielis à quibuſdam creditur fuiſſe completa,qui ait filiam Regis Auſtri coniungendam Regi Aquilonis,nulla tamen de germine eius ſobole ſubſiſtente. Sicut & idem in ſequentibus propheta ſubiungit dicens: Nec ſtabit ſemen eius. Nullus enim de vtero illius extitit genitus,qui patris in regno ſuccederet. Athaulfus autẽ dum relictis Galliis Hiſpanias peteret à quodam ſuorũ apud Barcinonã inter familiares fabulas iugulatur.

LV. Era CCCC.†LVI. anno imperii Honorii & Arcadii XXII. poſt obitum Athaulfi, à Gotthis Sigericus princeps electus eſt tribus annis,qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus mox à ſuis eſt interfectus.

Era CCCC.LVIII. anno imperii Honorii & Theodoſii XXV. Wallia Sigerico ſuccedens,ſex annis regnum tenuit. Belli cauſa princeps a Gotthis effectus,ſed ad pacem diuina prouidentia ordinatus. Mox enim vt regnare cepit,fœdus cum imperatore Honorio pepigit: & Placidiam ſororem eius,quæ à Gotthis Romæ capta fuerat,ei honorifice reddidit promittens imperatori propter rempublicam omne certamen implendum. Itaq; ad Hiſpanias per Conſtantium patritium euocatus Romani nominis cauſa,cædes magnas crudelib. populis intulit: Vandalos,Silingos in Bætica omnes bello extinxit. Alanos qui Vandalis & Sueuis potentabantur,adeo trucidauit,vt extincto Atace Rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant oblito regni nomine Gunderici Regis Vandalorum, qui in Gallecia reſederat, ſe regimini ſubiugarent. Confecto igitur Wallia bello Hiſpaniæ, dum inſtructa nauali acie ad Africam tranſire diſponeret,in freto Gaditani maris vi grauiſſimæ tempeſtatis effractus memor etiam illius ſub Alarico naufragii,omiſſo nauigationis periculo,relictis Hiſpaniis Gallias repetit.Dataq; eſt ei ab imperatore ob meritum victoriæ ſecunda Aquitania cum quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum vſq; ad Oceanum.

*ſecundo* Era CCCC.LXIIII. anno imperii Theodoſii minoris †nono Wallia Rege defuncto,Theuderedus ſuccedit in regno annis triginta tribus. Qui regno Aquitanico non contentus pacis Romanæ fœdus recuſat: & pleraq; municipia Romanorum vicina ſedibus ſuis occupat. Arelas nobiliſſimum Galliæ oppidum multa vi obſeſſum oppugnat. A cuius obſidione imminente virtute Aetii Romanæ militiæ ducis non impunitus abſcedit:ſed amiſſa parte ſuorum abſcedere bello coactus eſt. Remoto igitur Valentiniani imperatoris iuſſu à poteſtate militari Aetio, dum Theuderedus Narbonenſi vrbi diutina obſidione ac fame eſſet infeſtus, rurſus à Litorio Romanæ militiæ duce Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum res proſperas aduerſus Gotthos geſſiſſet,denuo dæmonum ſignis aruſpicumq; reſponſis deceptus bellum cum Gotthis imprudenter iniit: amiſſoq; Romano exercitu miſerabiliter ſuperatus interiit.Fecitq; intelligi quantum illa,quæ cum eodem periit, multitudo prodeſſe potuerit, ſi fide potius quam fallacibus dæmoniorum oſtentis vti maluiſſet. Extincto igitur Litorio pace deinde Theuderedus cum Romanis inita,denuo aduerſus Hunnos Galliarum prouincias ſæua populatione vaſtantes,atque vrbes plurimas euertentes,in campis Catalaunicis auxiliante Aetio duce Romano aperto marte conflixit:ibique præliando victor occubuit. Gotthi autem dimicante Thuriſmundo Theuderedi Regis filio adeo fortiter congreſſi ſunt,vt inter primum prælium & poſtremum trecẽta fere millia hominum in eo certamine proſternerentur. Multa eodẽ tempore cæli & terræ ſigna præceſſerunt,quorum prodigiis tam crudele bellum ſignificaretur. Nam aſſiduis terræmotibus factis, à parte orientis luna contra naturalem eclypſim offuſcata eſt. A ſolis occaſu ſtella cometes apparuit: atque ingenti & inſolita magnitudine aliquandiu fulſit. Ab aquilonis plaga cælum rubens ſicut ignis aut ſanguis effectus eſt permixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in ſpeciem haſtarum rutilantium deformatis. Nec mirum,vt tam ingens cæſorum ſtrages diuinitus tam multa ſignorum demonſtraretur oſtenſione. Hunni autem vſque ad internecionẽ pene cæſi cum Rege ſuo Athila relictis Galliis Italiam perfugiunt aliquantis ciuitatibus irruptis. Qui & ibi partim fame partim cæleſtibus plagis percuſſi interierunt. Miſſo inſuper à Martiano imperatore exercitu forti plaga cæduntur, affectique nimium ac diminuti ſedes proprias repetunt. Ad quas Rex eorum Athila mox vt remeauit, occubuit. Poſt eius obitum Hunnorum gens proprio ſe inſuper excidio deuaſtauit. ſtatimque inter filios eius de obtinendo regno magna ſunt exorta certamina. Atque ita Hunni qui tot cladibus ante diminuti fuerant,rurſus mutuis ſe gladiis conciderunt. In quibus illud mirum eſt: vt dum omne prælium detrimentum habet populorũ,iſti vice verſa cadendo proficiant.

proficiant. Sed proinde eſt quia in diſciplinam fidelium poſiti ſunt, ſicut populi gentis Perſarum. Virga enim furoris Dei ſunt, & multoties cum indignatio eius aduerſus fideles procedit, per eos flagellantur, vt afflictionib. emendati à ſeculi cupiditate & peccato ſemetipſos coerceant, & cæleſtis regni hæreditatem poſſideant. Adeo autem hæc gens horrida eſt, vt cum famem in bello fuerit paſſa, venam tangat equi, & ſic excludat hauſto ſanguine famem.

Era † CCCCLXXXVII. anno vigeſimo quinto imperii Theodoſii Thuriſmũdus filius CCCCLXXXX Theuderedi poſt deceſſum patris prouehitur ad regnum anno vno. Qui dum in ipſis regni ſui exordiis feralis ac noxii hoſtilia inſpiraret & multa ageret inſolenter à Theodorico & Frigdarico fratribus eſt occiſus.

Era CCCCLXXXXI. anno ſecundo imperii Martiani Theudericus poſt fraternam necem in regno ſuccedens imperauit annis † XIII. pro eo quod imperatori Auito ſu- XIIII mendi imperialis faſtigii cum Gallis auxilium præbuiſſet, ab Aquitania in Hiſpaniam cum ingenti multitudine exercitus, & cum licentia eiuſdem Auiti imperatoris ingreditur anno regni quinto. Cui cum magna copia Rex Sueuorum Recciarius occurrens duodecimo ab Auſturicenſis vrbis milliario apud fluuium, qui Vrbicus appellatur, inito mox certamine ſuperatus eſt cæſis Sueuorum agminibus, aliquãtis captis, plurimiſque fugatis. Ipſe poſtremo Rex telo ſaucius fugit, præſidioque ſuorum carens ad locum Portucale capitur. Regi Theuderico viuus offertur. Quo perempto, multis qui de priori certamine ſuperfuerant ſeſe tradentibus, aliquantis nihilominus trucidatis pro maiori parte deſtructum eſt, finitumque Sueuorum regnum. Reliqui autem Sueui, qui remanſerant in extrema parte Galleciæ, Maſſilæ filium nomine Maſdram ſibi Regem conſtituunt, & in parte regnum reparatur Sueuorum. Occiſo Recciario, Theudericus de Gallecia ad Luſitaniam victor ſuccedens, dum Emeritenſem vrbẽ deprædari molitur, ſanctæ martyris Eulaliæ oſtentis perterritus, cum omni protinus exercitu diſcedit, & Gallias repetit. Mox deinde partem vnã exercitus duce Ceurila ad Bethicam prouinciam mittit: partem aliã ſub Sigerico, & Nepotiano ducib. ad Galleciam dirigit, qui Sueuos apud Lucum ſæua deprædatione vaſtauerunt. In Galliis autem Agrippinus Comes & ciuis Ægidio Comiti Romano æmulus, vt Gotthorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theuderico. Poſt, aliquot legati à Remiſmundo Maſdræ filio Rege Sueuorum miſſi, ad Theudericum venerunt, pacem amicitiamque poſcentes. Similiter Theudericus ad Remiſmundum remittit cum armorum adiectione, vel munerum, directa etiam coniuge quam haberet. Sallanem quoque legatum denuo Theudericus mittit ad Remiſmundum. Qui reuerſus ad Gallias Theudericum ab Eurico fratre ſuo reperit interfectum.

Era † DIIII. anno imperii Leonis IIX. Euricus pari ſcelere quo frater ſucceſſit in re- DVIII gnum annis decem & ſeptem. In quo honore prouectus & crimine ſtatim legatos pro amicitiis ad Leonem imperatorem dirigit. Nec mora partes Luſitaniæ magno impetu deprædatur. Exercitum inde alium mittit, qui capta inde Pampilona, & Cæſarauguſtam miſſo exercitu, capit, ſuperiorem quoque Hiſpaniam in poteſtatem ſubmittit. Tarraconenſis etiam prouinciæ ciuitates, quæ ei repugnauerant exercitus irruptione euertit. In Gallias autem reuerſus Arelatum vrbem, & Maſſiliam bellando obtinuit, ſuoque regno vtraſque adiecit. Iſte quodam die, congregatis in colloquio Gothis, tela, quæ omnes habebant in manibus à parte ferri vel acie, alia viridi, alia roſeo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri ſpeciem vidit aliquandiu habuiſſe mutatam. Sub hoc Rege Gotthi legum ſtatuta in ſcriptis habere cæperunt. Nam antea tantum moribus & conſuetudine tenebantur. Obiit Arelati Euricus Rex morte propria defunctus.

Era DXXI. imperii Zenonis octauo Eurico mortuo, Alaricus filius eius apud Toloſanam vrbem princeps Gotthorum conſtituitur regnans annis viginti tribus, aduerſus quem † Fluduius Francorum, princeps Galliæ regnum affectans, Burgundionibus ſi- Fluduildus bi auxiliantibus, bellum mouet, fuſiſque Gotthorum copiis ipſum poſtremo Regem apud Pictauium ſuperatum interficit. Theudericus autem Italiæ Rex, dum interitum generi comperiſſet, confeſtim ab Italia proficiſcitur, Francos proterit, partem regni, quam manus hoſtium occupauerat, recepit, Gotthorum iuri reſtituit.

Era † DXLIIII. anno tertio decimo imperii Anaſtaſii Giſaleicus ſuperioris Regis DXLVI filius ex concubina creatus, Narbonæ princeps efficitur regnans annos quatuor, ſicut genere viliſſimus, ita in felicitate & ignauia ſummus. Denique dum eadem

ciuitas à Gundebado Burgundinorum Rege direpta fuiſſet, iſte cum multo ſui dedecore, & cum magna ſuorum clade apud Barcinonam ſe cōtulit, ibique moratus, quouſque etiam regni faſcibus à Theuderico fugæ ignominia priuaretur. Inde profectus ad Africam Vandalorum ſuffragium poſcit, quo in regnum poſſet reſtitui. Qui dum non impetraſſet auxilium, mox de Africa rediens ob metum Theuderici Aquitaniam petiit, ibique anno vno deliteſcens in Hiſpaniam reuertitur, atque à Theuderici Regis duce duodecimo à Barcinona vrbe milliario, commiſſo prælio ſuperatus in fugam vertitur, captuſque trans fluuium Druentium Galliarum interiit, ſicq; prius honorem poſtea vitam amiſit.

DXLIX. Era † DXLVIII. anno decimo ſeptimo imperii Anaſtaſii Theudericus iunior cum iam dudum conſul & Rex à Zenone imperatore Romæ creatus fuiſſet, peremptoque Odoacro Rege Oſtrogotthorum, atque deuicto fratre eius Honoulfo, & trans confinia Danubii effugato decem & octo annis in Italia regnaſſet, rurſus extincto Giſaleico Rege Gotthorum, Hiſpaniæ regnum quindecim annis obtinuit, quod ſuperſtiti Amalarico nepoti ſuo reliquit. Vxorem ex Toleto de prima Hiſpanorum origine duxit: cuius precibus omnes Hiſpanos libertate donauit: & ex ea filium nomine Seuerianum ſuſcepit. In Italia & Hiſpania regnauit Theudericus annis quadraginta, Romæ etiam obtinens principatum. Deinde ab Hiſpania Italiam repetens aliquandiu omni cum proſperitate regnauit, per quem etiam vrbi Romæ dignitas non parua eſt reſtituta. Muros namque eius iſte redintegrauit, cuius rei gratia à ſenatu inauratam ſtatuam meruit.

DLXIIII. Era † DLXVIII. anno imperii Iuſtiniani primo regreſſo in Italiam Theuderico, & ibidem defuncto, Amalaricus nepos eius quinq; annis regnauit. Qui cum à Childeberto Francorum Rege apud Narbonam prælio ſuperatus fuiſſet, ad Barcinonam trepidus fugit, effectuſq; omnium contemptibilis ab exercitu iugulatus Narbonæ in foro interiit.

DLXIX. Era † DLXXIII. anno imperii Iuſtiniani ſexto poſt Amalaricum Theudis in Hiſpania creatus in regnum annis decem & ſeptem menſibus quinque, qui dum eſſet hęreticus, pacem tamen conceſſit eccleſiæ. Adeo vt licentiam catholicis epiſcopis daret, in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcumque ad eccleſiæ diſciplinam neceſſaria extiterunt libere licenterque diſponere. Eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Hiſpaniam conueniſſent, & Tarraconenſem prouinciam bello depopularent, Gotthi duce Theudiſclo obicibus Hiſpaniæ interclusis Francorũ exercitum multa cum admiratione victoriæ proſtrauerunt. Dux idem, prece atque ingẽti pecunia ſibi oblata, viã fugæ hoſtibus reſiduis vnius diei noctiſq; ſpatio præbuit. Cætera infelicium turba cui tranſitus collati temporis non occurrit, Gotthorum perempta gladio concidit. Poſt tam felicis ſucceſſum victoriæ trans fretum inconſulte Gotthi ſe geſſerunt. Denique dum aduerſus milites, qui Septem oppidum, pulſis Gotthis inuaſerant; Oceani freta tranſiſſent, idemque caſtrum magna vi certaminis expugnarent: adueniente die Dominico depoſuerunt arma ne diem ſacrum prælio funeſtarent. Hac igitur occaſione reperta, milites repentino incurſu aggreſſi exercitum mari vndique terraque concluſum, ignauum atque inermem adeo proſtrauerunt, vt ne vnus quidem ſupereſſet, qui tantæ cladis excidium præteriret. Nec mora præuenit mors debita principem. Vulneratur enim à quodam in palatio, qui iam dudum dementis ſpeciem, vt Regem deciperet, ſimulauerat. Finxit enim arte inſaniam, perfoditque principem, quo vulnere ille proſtratus occubuit, & vi gladii indignantem animam exhalauit. Fertur autem inter effuſionem ſanguinis coniuraſſe ne quis interficeret percuſſorem dicens, ſe congruam meriti recepiſſe viciſſitudinem, quod & ipſe
*Salutatum* priuatus ducem ſuum † ſollicitatus occiderat.

DLXXVI. Era † DLXXVIII. anno imperii Iuſtiniani vndecimo interempto Theudi Theudiſclus ſuperioris Principis dux Gotthis præficitur, regnans anno vno menſibus tribus, qui dum plurimorum potentum connubia proſtitutione publica macularet, & ob hæc inſtrueret animum ad necem multorum, præuentus coniuratorum manu Hiſpali inter epulas iugulatur, confoſſuſque gladio extinguitur. Hic filius extitit ſororis Totilæ, qui poſt multas victorias, quas geſſit in terra & in mari, ſe contra Deum & fidem catholicam erexit: & tam Romæ quam in tota Italia monachos & clericos, ad quoſcumque potuit peruenire inſatiabili crudelitate occidit. Superatus autem dei iudicio à Narſi catholico regno cum vita caruit.

DLXXXVII. Era † DLXXXII. imperii Iuſtiniani decimo quinto mortuo Theudiſclo Agila Rex

Rex conſtituitur regnans annis quinq;. Iſte aduerſus Cordubenſem vrbem prælium mouens, dum in contemptum catholicæ religionis beatiſſimi martyris Aciſcli corpori iniuriam inferret, hoſtiumque ac iumentorum cruore ſacrum ſepulchri eius locum vt profanator pollueret, inito aduerſus Cordubenſes ciues certamine pœnas dignas ſanctis inferentibus meruit. Nam belli præſentis vltione percuſſus & filium ibi cum copia exercitus interfectum amiſit, & theſaurum omnem cum inſignibus opibus perdidit. Ipſe victus ac miſerabili metu fugatus Emeritam ſe recepit. Aduerſus quem interiecto aliquanto temporis ſpatio, Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripiens dum exercitum eius contra ſe Hiſpali miſſum virtute militari proſtraſſet: videntes Gotthi proprio ſe euerti excidio, & magis metuentes ne Hiſpaniam milites Romani auxilii occaſione inuaderent: Agilanem Emeritæ interficiunt, & Athanagildi ſeſe regimini tradiderunt.

Era † DLXXXVII. anno imperii Iuſtiniani vigeſimo occiſo Agilane, Athanagildus regnum quod inuaſerat tenuit annis quindecim. Hic cum iam dudum ſumpta tyrannide, Agilanem regno priuare, conaretur, militum ſibi auxilia ab imperatore Iuſtiniano popoſcerat, quos poſtea ſubmouere à finibus regni ſui molitus non potuit. Aduerſus quos huc vſque conflictum eſt. Frequentibus antea præliis cæſi, nunc vero multis caſibus fracti atque finiti. Fidem catholicam occulte tenuit: & Chriſtianis valde beneuolus fuit. Deceſſit autem Athanagildus Toleti propria morte vacante regno menſibus quinque. DXCII

Era DCII. anno imperii Iuſtiniani trigeſimo quinto Athanagildo adhuc viuente Liuua Narbone Gotthis præficitur, regnans in Galliis annis ſeptem, & poſt in Hiſpania annis tribus. qui ſecundo anno poſtquam adeptus eſt principatum, Leuuigildum fratrem non ſolum ſucceſſorem, ſed & participem regni ſibi conſtituit, Hiſpaniæque adminiſtrationi præfecit, ipſe Galliæ regno contentus. Sicque regnum duos cepit, dum nulla poteſtas patiens conſortis ſit. † Vnus tantum annus in ordine temporum reputatur Liuuæ Regis, reliqui Leuuigildo fratri annumerantur. *octo tantum anni*

Era † DCX. anno imperii Iuſtini minoris quarto Leuuigildus regnũ obtinuit. Qui cum primo Chriſtianus haberetur, Theodoſiam filiam Seueriani ducis Carthaginenſis filii Regis Theuderici duxit vxorem: ex qua Ermegildum & Reccaredum filios ſuſcepit, regnumque bello ampliare & augere opes ſtuduit. Studio quippe eius exercitus concordante fauore victoriarum multa præclare ſortitus eſt. Cantabros namque iſte obtinuit. Aregiam iſte ſuſcepit. Sabaria quoque tota ab eo deuicta eſt. Ceſſerunt etiam armis illius plurimæ rebelles Hiſpaniæ vrbes. Fudit quoque diuerſo prælio Iuſtini milites, quos Athanagildus ad auxilium euocauerat, & quædam caſtra ab eis occupata dimicando recepit. Ermegildum deinde filium imperio ſuo reſiſtentem, quem Chriſtiani Regem ſibi præfecerant, obſeſſum Hiſpali dolo cepit. Poſtremum Sueuis bellum intulit, totam Galleciam ſubiugauit, regnumque eorum in iura gentis ſuæ mira celeritate tranſmiſit. Hiſpania magna potitus ex parte: nam antea gens Gotthorum anguſtis finibus arctabatur. Romanos milites apud Legionem bello extinxit: & ipſam eorum vrbem cepit, quam ex ſuo nomine Leonem nominauit. Sed offuſcauit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique Arrianæ perfidiæ furore repletus in catholicos perſecutione commota plurimos epiſcopos exilio relegauit, eccleſiarum redditus & priuilegia tulit. Beatum Ermegildum filium ſuum nefandis ritibus communicare nolentem diuerſis tormentis prius excruciatum. Denique in vinculis poſitum dira ſecuri interficere iuſſit: & dignum Deo martyrem illius feralis crudelitas conſecrauit. Multos quoque terroribus in Arrianam peſtilentiam impulit: pleroſque ſine perſecutione verbis blandis terroribuſque decepit. Inter cætera quoque hæreſis ſuæ contagia, etiam rebaptizare catholicos compulit. Et non ſolum multos peruertit ex plebe, ſed etiam ex ſacerdotalis ordinis dignitate, ſicut Vincentium Cæſarauguſtanum de epiſcopo apoſtatam factum, & tanquam à cœlo in infernum proiectum. Extitit autem & quibuſdam ſuorum pernicioſus. Nam quoſcumque nobiliſſimos ac potentiſſimos viros aut capite truncauit, aut opibus ablatis proſcripſit, & proſcriptos in exilium miſit. Fiſcum quoque primus Regum Gotthorum iſte locupletauit: primuſque ærarium de rapinis ciuium hoſtiumque ſpoliis repleuit. Primus etiam inter ſuos regali veſte opertus in ſolio reſedit: nam ante eum & habitus & conſenſus communis vt populo ita & Regibus erat. Condidit etiam ciuitatem in Celtiberia: quam ex nomine filii ſui Reccopolim nominauit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconſulte conſtituta videbantur, correxit, plu-

rimas leges prætermiſſas adiiciens, pleraſque ſuperfluas auferens. Regnauit autem annis decem & octo: & defunctus eſt acerrima morte Toleti. Sed antequam moreretur, præcepit filio ſuo Reccaredo, vt beatum Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem ab exilio reuocaret, & eum audiret vt patrem, & in fide Chriſti cõfirmaretur. Tunc temporis Fulgentius Aſtigitanus epiſcopus in noſtro dogmate claruit.

DCXXIIII Era † DCXXVIII. anno imperii Mauritii quarto Leuuigildo defuncto filius eius Reccaredus, qui per Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem in fide catholica erat inſtructus, in regno eſt coronatus, cultu præditus religionis, & paternis moribus longe diſſimilis. Namque ille irreligioſus, & bello promptiſſimus, hic fide pius & pace præclarus. Ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic glorioſus pietate eandem gentem fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordiis catholicam fidem adeptus totius Gotthicæ gentis populos inditi erroris labe deterſa, ad cultum rectę fidei reuocat. Synodum deinde epiſcoporum ad condemnationem Arrianæ hæreſis, de diuerſis Hiſpaniæ & Galliæ prouinciis congregat. Cui concilio idem religioſiſſimus princeps interfuit, geſtaque eius præſentia ſua & ſubſcriptione firmauit, abdicans cum omnibus ſuis perfidiam, quam huc vſque Gotthorum populus Arrio docente didicerat, & prædicans trium perſonarum vnitatem in vno Deo. Filium à Patre conſubſtantialiter genitum eſſe. Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere, & eſſe amborum vnum ſpiritum, vnde & vnum ſunt. Interfuit tunc dignitate primas ille catholicus & orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus & Romanæ eccleſiæ legatus, ſanctitate & doctrina perſpicuus. Qui cum Arrianæ hæreſis feruorem tempore Leuuigildi ab Hiſpanis quondam confutare radicitus nequiſſet, pro confirmandis ſanctæ & immaculatæ Trinitatis capitulis ad Conſtantinopolitanum præſulum cœtum tranſmeauit. Ibi aderat beatus Gregorius doctrina & ſanctitate clariſſimus, tum Cardinalis vices Romani antiſtitis agens: cum quo ipſe Leander amicitiæ fœdus pepigit, & ab eo poſtulauit vt librum beati Iob ſibi exponeret: quod poſtea ille deuota mente compleuit. Leander vero poſtquam ad Hiſpanias rediit, Gotthis prædicando ſuaſit: vt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum trinum ſecundum perſonarum diſtinctionem, & vnum ſecundum naturæ diuinitatem Deum eſſe crederent. Illis credentibus prior dedit præcepta & eccleſiaſtica officia quibus fruerentur. Ipſo namque tempore per eum Sueui vnda baptiſmatis loti Galleciam obtinent. Leander vero poſt multos labores, quos pro fide Chriſti pertulit, eccleſia pacem adepta ſpiritum cœlo reddidit. Doctor etiam eximius Gregorius Papa migrauit ad dominum. Egit præterea prædictus princeps bellum glorioſe aduerſus infeſtas gentes fidei ſuſcepto auxilio. Francorum enim fere ſexaginta millia armatorum, qui ad auxilium venerant hæreſis Arrianæ Gallias irruentibus, miſſo Claudio Emeritenſium duce proſtrauit: vnde glorioſo triumphauit euentu. Nunquam in Hiſpaniis Gotthorum victoria ſimilis extitit. Proſtrata ſunt enim captaque multa millia hoſtium: reſidua vero exercitus pars præter ſpem in fugam verſa Gotthis poſt tergum inſequentibus vſque in regni ſui finibus cæſa eſt. Hiſpaniæ & Galliæ regna tanta benignitate rexit, vt omnes illum patrem dulciſſimum acclamarent. Anno regni ſui ſexto Gotthicas leges compendioſe fecit abbreuiari. Sæpe miſit exercitum contra Romanorum inſolentias: eiſdem deuictis irruptionem in eorum vrbibus fecit. Tanta fuit gloria Gotthis illo tempore, vt non viderentur bella tractare pugnando, ſed quaſi in palæſtra luſibus delectari: vbique enim perſiſtebant victores. Prudens & pius erat Princeps & prouincias quas pater bello conquiſiuit, iſte pace conſeruauit, æquitate diſpoſuit, moderamine rexit. Fuit enim placidus, mitis & egregiæ bonitatis: tantamque in vultu gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem geſſit, vt omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum amoris ſui attraheret, adeo liberalis, vt opes priuatorum, eccleſiarum prædia, quæ paterna labes fiſco aſſociauerat, cum augmento multiplici iuri proprio reſtauraret. Adeo clemens vt populi tributa ſæpe indulgentiæ largitione laxaret. Multos etiam ditauit rebus, plurimos ſublimauit honoribus. Antiquos Hiſpanos & Romanos ſibi ſubditos vna cum Gotthis eiuſdem conditionis eſſe inſtituit, nulliuſque captiui Chriſtiani filium iugo ſeruitutis opprimi paſſus eſt. Opes ſuas in miſeris, theſauros in egenis recondens, ſciens ad hoc illi fuiſſe collatum regnum, vt eo ſalubriter frueretur. Bonis initiis & bonis mediis decoratus bonum finem adeptus eſt. Fidem enim rectæ gloriæ, quam initio regni

tio regni percepit, nouiſſime publica confeſſione pœnitentiæ cumulauit. Toleti fine
pacifico tranſiit, qui regnauit annis quindecim.

Era † DCXLIII. anno imperii Mauritii decimo nono poſt Reccaredum Regem DCXXXVIIII.
regnat Liuua filius eius annis duobus ignobili quidem matre progenitus, ſed virtutum
indole inſignis. Quem in primo flore adoleſcentiæ Vuittericus ſumpta tyrannide in-
nocuum regno deiecit præciſaque dextra occidit anno ætatis ſuæ † vigeſimo, regni XVI
ſecundo.

Era DCXLIIII. imperii Mauritii vigeſimo extincto Liuuane Vuittericus regnum
quod viuente illo inuaſerat, vendicat annis ſeptem, vir quidem ſtrenuus in armorũ ar-
te, ſed tamen expers victoriæ. Namque aduerſus militem Romanum prælium ſæpe mo
litus nihil ſatis glorioſe geſſit præter quod milites quoſdam Segonciæ per duces obti-
nuit. Hic in regno plurima illicita fecit, & hæreſim Arrianam inducere tẽtauit. In mor-
te autem quia gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in
illo non fuit. Inter epulas enim prandii coniuratione quorundam eſt interfectus: &
corpus eius viliter exportatum atque ſepultum. Per idem tempus Romæ templum,
quod ab antiquis Pantheon dicebatur, à glorioſo Bonifacio Papa conſecratur in ho-
nore omnium martyrum Chriſti.

Era † DCLI. anno Phocatis ſexto Gũdemarus poſt Vuittericum regnat annis du- DCXLVIII
obus. Hic Vaſcones vna expeditione vaſtauit: alia militem Romanum obſedit. Mor-
te propria Toleti deceſſit.

Era † DCLIII. anno imperii Heraclii ſecundo Siſebutus poſt Gundemarum ad DCL
regale faſtigium euocatur. Regnat annis octo menſibus ſex. Qui initio regni Iudæos
ad fidem Chriſtianam permouens, æmulationem quidem habuit, ſed non ſecundum
ſcientiam: poteſtate enim compulit, quos prouocare fidei ratione oportuit. Sed ſicut
ſcriptum eſt ſiue per occaſionem ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur. Fuit autem
eloquio nitidus, ſententia iuſtus, ſcientia litterarum magna ex parte imbutus, in bellí-
cis quoque documentis promptus, victoriis clarus. Aſtures etiam rebellantes miſſo ex-
ercitu in ditionem ſuam reduxit. Rucones montibus arduis vndique conſeptos per du-
ces euicit. De Romanis quoque præſens bis feliciter triumphauit: & quaſdam eorum
vrbes pugnando ſibi ſubiecit. Adeo poſt victorias clemens fuit, vt multos ab exercitu
ſuo hoſtili præda in ſeruitutem redactos pretio illorum dominis dato abſolueret: eiuſ-
que theſauri redemptio exiſterent captiuorum. Eccleſiam ſanctæ Leocadiæ Toleti
præfatus princeps miro opere fundauit. Ipſo tempore Mahomet ab Hiſpania turpiter
fugatus, in Africa nequitiam nefariæ legis ſtultis populis prædicauit. Siſebutum autem
alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti hauſtu, alii veneno aſſerunt inter-
fectum relicto Reccaredo filio paruulo: qui poſt patris obitum princeps paucorũ die-
rum morte interueniente habetur. Hic cum patre duobus annis regnauit.

Era † DCLXI. imperii Heraclii octauo glorioſiſſimus Suintila filius Reccaredi Re- DCLIX
gis glorioſi ſupra nominati gratia diuina regni ſuſcepit ſceptra, qui regnauit annis de-
cem. Iſte ſub Rege Siſebuto in adoleſcentia ducis nactus officium Romana caſtra per-
domuit. Rucones ſuperauit. Poſtquam vero apicem faſtigii regalis conſcendit, vrbes
reſiduas quas in Hiſpaniis Romana manus detinebat, prælio conſerto obtinuit: multiſ-
que triumphis gloriam præ cæteris Regibus felicitate mirabili reportauit. Totius Hi-
ſpaniæ infra Oceani fretum monarchia regni primus idem potitus eſt, quod nulli re-
tro principum eſt collatum. Auxit etiam virtutis eius titulum duorum patriciorũ ob-
tentus, quorum alterum prudentia ſuum fecit, alterum virtute belli ſibi ſubiecit. Ha-
buit quoq; & initio regni expeditionem contra incurſus Vaſconum Tarraconenſem
prouinciam infeſtantium: vbi adeo montiuagi populi terrore aduentus eius percuſſi
ſunt, vt confeſtim quaſi debita iura cognoſcentes, dimiſſis telis, expanſis ad precem
manibus, ſupplices & colla ſubmitterent, obſides darent, Ologitim ciuitatem Gottho-
rum ſtipendiis ſuis & laboribus conderent, pollicentes eius regno ditioniq; parere &
quidqvid eis imperaretur efficere. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo re-
giæ maieſtatis virtutes fulſere, fides, prudentia, induſtria, in iudiciis examinatio. ſtre-
nua in regendo regno cura, præcipua circa omnes munificentia largus, erga indigentes
& inopes miſericordia ſatis promptus. Ita vt non ſolum princeps populorum, ſed etiam
pater pauperum vocari ſit dignus. Fine proprio Toleti deceſſit tempore imperatoris

Heraclii relictis duobus filiis Siſenando & Chindaſuintho, quos de Theodora filia Siſebuti Regis ſuſceperat. Computatis igitur Gotthorum Regum temporibus ab exordio Athanarici Regis vſque ad quintum glorioſiſſimi Suintilæ principis annũ, regnum Gotthorum per annos CCLVI. Deo fauente reperitur eſſe porrectum. Reliquum autem tempus ſoli Deo cognitum eſt: qui ſibi arcana futurorum ſcienda ſeruauit.

*EXPLICIT SECVNDVS LIBER CHRONICORVM BEATI Iſidori epiſcopi.*

# LIBER TERTIVS.

INCIPIT continuatio Chronicorum beati Iſidori Archiepiſcopi Hiſpalenſis per beatum Illefonſum Archiepiſcopũ Toletanum compoſita. Quoniam præclarus doctor Iſidorus ætates mundi & quorundam Imperatorum & Regum hiſtorias, ab exordio mundi vſque ad tempus Siſenandi Regis Gotthorum docili compendio patefecit: nos à tempore quo ipſe deſiit, ſumamus principium: ne præſentium heroum memoria à futurorum mentibus diluatur.

Era DCLXXI. anno imperii Heraclii decimo octauo poſt Suintilanum Regem Siſenandus regnat annis tribus. Iſte Synoda epiſcoporum egit, patiens fuit, regulis Catholicis Orthodoxis ſtetit. Toleti finiuit vitam.

Era DCLXXIIII. anno imperii Heraclii vigeſimo primo Chintilanus regnum accepit. Synoda plura Toleti cum epiſcopis egit: & ſubditum regnum in fide catholica firmauit. Regnauit annos quinque menſes quatuor. Anno ſexto regni Chintilani doctor & legiſlator Hiſpaniarum Iſidorus ſtans in eccleſia, peracto ſermone ad populum, & expandens manum ad cœlum, ac benedicens omnibus, Deo ſibi hactenus traditum gregem commendans feliciſſimo ſomno obdormiuit in domino ſenio ſanctiſſimo decoratus. Extitit quippe ſpiritu prophetiæ clarus, in eleemoſynis largus, hoſpitalitate præcipuus, corde ſerenus, in ſententia verax, in iudicio iuſtus, in prædicatione aſſiduus, in exhortatione lætus, in lucrandis Deo animabus ſtudioſus, in expoſitione ſcripturarum cautus, in conſilio prouidus, in habitu humilis, in menſa ſobrius, in oratione deuotus, honeſtate præclarus, ſemper pro eccleſia ac veritatis defenſione mori pronus, & in omni bonitate conſpicuus. Præterea pater extitit clericorum, doctor & ſuſtentator monachorum ac monialium, cõſolator mœrentium, tutamen pupillorum ac viduarum, leuamen oppreſſorum, defenſor ciuium, attritor ſuperborum, perſecutor & malleus hæreticorum. Rexit archipræſulatum Hiſpalenſis eccleſiæ quadraginta annis, diuerſis fulgens miraculorum ſignis, primatiæ dignitate florens, & Romani Papæ in Hiſpaniis vices gerens. Sacerdotibus, Regibus & populis diuinas & humanas leges tradidit: & Romano antiſtiti humiliter obedire præcepit. Nolentibus obedire maledictionem intulit: & eos à fidelium conſortio ſeparauit. Multis librorum voluminibus Chriſti eccleſiam informauit & in pace quieuit era DCLXXX. Toletum ad Synodum epiſcopos conuocauit, & ore prophetico eis ſui obitus diem & Hiſpaniis ventura prædixit.

*Sidus honeſtatis, lux morum, ſol probitatis*
*Hæc ait in Synodo Toleti vir ſacer ille*
*Iſidorus, per quem floruit alma fides.*
*Si ſeruaueritis quæ vobis præcipiuntur,*
*Seruabit Chriſtus vos in amore ſuo,*
*Frumentum dabit ac oleum, dabit optima quæque,*
*Si pura mente complaceatis ei.*
*Si neglexeritis ea, non impune feretis,*
*Cum recte praua puniat acta Deus.*
*Inde cadent Gotthi bellis & barbarus hoſtis*
*Vos premet innumera clade, timore, fame.*
*Tunc conuertimini, tunc crimina plangite veſtra,*

*Et ſtatim*

*Et ſtatim dominus auxiliator erit.*
*Gloria maior erit vobis: & gratia Chriſti*
*Extollet Gotthos vberiore bono.*

De geſtis eius hæc inter Regum actus annotauimus, quia ipſe de præclara Regum Gotthorum ſtirpe, patre Seueriano Carthaginenſi duce extitit procreatus. Poſt tranſitum autem eius menſe vno Rex Catholicus Chintilianus Toleti deceſſit bono fine perfunctus. Succeſſit beatiſſimo doctori Iſidoro Theodiſclus natione Græcus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus, interius autem, vt exitus demonſtrauit, ſub ouina pelle lupus voraciſſimus. Nam libros quoſdam de naturis rerum & arte medicinæ, nec non & de arte notoria, quos pater Iſidorus facundo ſtylo compoſuerat, & ne dum ad publicum venerant, in odium fidei corrupit reſecans vera & inſerens falſa: atque per quendam Arabum nomine Auicennam, de Latino in Arabicum tranſtulit. Hic in his & aliis pluribus infidelis inuentus, & erroneus in articulis fidei comprobatus, per Synodum ab Archiepiſcopali dignitate degradatus eſt. Aſſerebat enim Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum Patre & Spiritu ſancto non eſſe vnum Deum, ſed potius adoptiuum. Hic vt dictum eſt, priuatus honore ſacerdotii ad Arabes tranſiit: & ſectæ pſeudoprophetæ Mahometi adhæſit: & plura docuit deteſtanda ſub imperatore Heraclio. Tunc temporis dignitas primatiæ translata eſt ad eccleſiam Toletanam.

Heraclius autem aduerſus Coſdroam Regem Perſarum geſſit bellũ anno imperii ſui ſexto, & Siſebuti Regis Gotthorum ſexto. Quo deuicto & occiſo, ac Hieroſolymam delata cruce domini, & viſo Angelo ſuper portas Hieruſalem, inde ad propria reuerſus eſt cum gaudio magno. Hoc tempore dedignantibus Orientis gentibus vectigalia & tributa reddere Romanis, cæperunt pro viribus rebellare. Tunc ſurrexit quidam iniquus concionator ortus in Arabia nomine Mahumet. Qui peſſimus ſeductor videns inter Orientales & Romanos ortam diſcordiam, ſe cõtra Deum erexit: & Chriſtianorum imperium, ſeductorie hortans genus Arabum atque dicens: Non debere alterius gentis domino ſubiugari: quia dominus illis eſſet prouiſurus, de ſuo genere ducem beneuolum concedendo, quem haberent, vt fratrem, cum quo etiam dominus loqueretur. Hæc & his ſimilia cum prædicaret illis verbis ſuaſoriis, & virtutes quaſdam ſimulatas, & miracula artibus magicis facere videretur, extemplo Iſmaelitæ ſicut bruta animalia, quibus non eſt intellectus, paulatim de bono in malum mutati, derelicta fide catholica cæperunt ei credere: & eum in tanta veneratione habere, vt eũ prophetam prædicarent à Deo miſſum, & ſibi eligerent. Regem ſimulatis illius ſeducti miraculis & facundia decepti. Erat enim pulcher, facundus, & fortis, & magicis artibus valde imbutus. Iſte Mahometus Sarracenorum & Arabum princeps, vt fertur, fuit de genere Iſmael filii Abrahæ. Qui cum in adoleſcentia cæpiſſet eſſe mercator prouidus, pergebat frequenter cum camelis ſuis apud Ægyptum & Palæſtinam, & morabatur cum Iudæis & Chriſtianis, & maxime cum quodam monacho Antiocheno ſuperſtitionis amico, qui vocabatur Ioannes: à quo tam nouum quam vetus ſuperficialiter & ſuperſtitioſe didicit teſtamentum. Et cum hac illacque cum diuerſis ſpeciebus aromatum & diuitiarum cauſa lucri pergeret, contigit vt Corrozatam ingrederetur prouinciam. Cuius prouinciæ domina, quæ Cadiga vocabatur, vt vidit iuuenem, primo in illius pulchritudine & eloquentia mente capta cæpit diuerſas ſpecies, quas ſecum Mahometa attulerat contemplari, & ei familiarius adhærere. Quam Mahomet caute incantationum ſuarum perſtrinxit phantaſmate: & aſtute paulatim cæpit ducere in errorem, dicens ei quod ipſe eſſet Meſſias quem venturum expectabant Iudæi. Auxiliabantur ei non ſolum Regina Cadiga quæ ab eo decepta erat, ſed etiam multi Iudæorum qui ad eum de diuerſis partibus concurrebant. Omnes etiam Iſmaelitæ & Arabes cateruatim confluebant ad eum attoniti tanta nouitate rei. Quibus cæpit nouas leges fingere eiſque tradere adhibens ipſis nefandis legibus de vtroque teſtamento corrupta teſtimonia. Ideo diuinæ paginæ auctoritates peruertit, vt tam Chriſtianis quam Iudæis cum Sarracenis aditum præcluderet diſputandi. Dedit etiam ſuis edictum, vt quicumque alia quam ea, quæ ab illo acceperant, prædicaret animaduerſione gladii puniretur. Huius ſacrilegas traditiones Sarraceni Dei leges appellant: eumque ſuum legiſlatorem & nuncium Dei fatentur. Præfata quoque Cadiga, cum videret illum Iudæorum & Sarracenorum pariter contubernio vallatum, exiſtimabat in illo diuinam latere ſapientiam: & cum eſſet vidua, accepit

eum ſibi maritum: & ipſe Mahumet nomen Regis aſſumpſit ſibi impoſito diademate regni. Cæpit deinde ſe in armis gerere ſtrenue, & Regis ac prophetæ ſibi nomen & inſignia vſurpare. Poſt hæc vero cæpit cadere frequenter caduco morbo & epileptica paſſione. Quod Regina Cadiga cernens admodum triſtabatur: eo quod nupſiſſet homini, quem credebat arreptione dæmonum laborare. Ille autem aſtute leniendo decipiebat eam dicens: quia Angelum Domini Gabrielem mecum loquentem contemplor: & non ferens ſplendorem vultus eius, vtpote carnalis homo, deficio & cado. Hęc dicens quædam ſigna & miracula magicis artibus facere nitebatur. Veruntamen, vt fertur, Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis, quædam ei prædicebat futura. Vnde eſt vt in exordio ſuæ ſubdolæ prædicationis adiret Hiſpaniam, & Cordubę ſuę perditionis ſectam doceret. Dicebat enim Ieſum Chriſtum Dominum de virgine eſſe natum, operatione Spiritus ſancti non tamen eſſe Deum. Quod cum beatiſſimo patri Iſidoro nunciatum fuiſſet, qui tunc reuertebatur à Romana curia, confeſtim miſit miniſtros, qui caperent eum. Sed Diabolus Mahumeto apparuit & quam citius fugeret imperauit. Mahumetus autem poſt fugam in Africam & Arabiam innumerabiles plebes ſeduxit: & regno adepto cum Iſmaelitis, qui credebant eum ab ore Gabrielis Archangeli leges quas ei tradebat recipere, Romanum imperium fortiter deuaſtabat.

Era DCLVI. Mahumetus cum exercitu ſuo partes Arabiæ, Syriam & Meſopotamiam hoſtiliter inuaſit, & tam ipſas quam vicinas patrias funeſta deprædatione occupauit. Quod cum nunciatum fuiſſet Theodoro fratri Heraclii, qui tunc præerat partibus Orientis, mox apud Gabatam cum magno exercitu obuiam illi præliaturus occurrit: vbi dum inter ſe acrius dimicarēt, Theodorus interfectus eſt, & exercitus Chriſtianorum maxima pars occubuit diro gladio, & cæteri fuga lapſi ſunt. Tunc Agareni de Romanorum fuga validiores effecti audacius appetunt Syriam: & depopulantes patriam apud Damaſcum nobilem quondam Chriſtianorum vrbem ſibi regni ſolium firmauerūt: & dictis Mahumeti tribuebant fidem diuinam in eo latere potentiam aſſerentes. Mahumetus autem inter cætera nefanda quæ docuit, ſectam Nicolai aduenæ Antiocheni, qui vnus de ſeptem Apoſtolorum diaconis fuerat, iam per Apoſtolos emortuam ſuſcitauit: quam Dominus in Apocalypſi Angelo Epheſi eccleſiæ ſcribit, ſe odire dicens: Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Decimo autem regni ſui anno, quia dixerat ſe moriturum & tertia die reſurrecturum, Albimor diſcipulus eius volens experiri, vtrum vere à morte reſurgeret, callide Mahumeto efficaciſſimum venenum obtulit: quo ſtatim repentina mutatione Mahumet mortis ſuæ terminum ſenſit. Vnde quibuſdam ſibi aſtantibus dixit, quod per aquam remiſſionem acciperent peccatorum, & ſtatim mortuus eſt. Diſcipuli vero eius diligenter cuſtodiebant corpus ipſius expectantes quod reſurgeret. Sed nimio erumpente fætore, cum iam ſuſtinere non poſſent, eis abſcedentibus Albimor poſt vndecimam diem reperit corpus eius à canibus dilaniatum: & diligenter colligens oſſa illius cum magno Sarracenorum conuentu ſepeliuit eum in Medina Ruphul quæ Latine ciuitas nuntii dicitur.

Era DCLXVI. anno Heraclii decimo ſeptimo poſt Mahumet, Abubacar de cognatione eius electus in Regem Arabes fortiter rexit per triennium. Poſt hunc Homer regnauit, qui multis prælijs triumphauit. Alexandriam ciuitatem metropolim ſuo imperio ſubiecit. Poſt multas victorias in mari & in terra ab ipſo factas, dum quadam die orationi vacaret, à quodam ſeruo ſuo ſagittatus interiit expletis in regno decem annis. Sicque error Sarracenorum exordium habuit, & de Romanis per diuerſas orbis partes multas obtinuerunt prouincias & victorias. Atque vt fertur, tantorum malorum cauſa Romanorum auaritia fuit: qui ſibi ſubditas nationes iugo ſeruitutis intolerabiliter opprimebant: vnde opportunitate male habita eorum dominium quam citius à ſuis ceruicibus excuſſerunt, ſe nefariis ritibus Mahumeti miſerabiliter implicantes. Hic enim fuit cauda draconis, de qua legitur in Apocalypſi, quod deiecit de cœlo tertiam partem ſtellarum. Sed iam ad Reges Gotthorum vertatur ſtylus.

Era DCLXXX. anno imperii Heraclii vigeſimo ſexto poſt Chintilanum Regem Tulga regnat annis tribus. Iſte blandus & catholicus per omnia fuit. Regna ſibi ſubdita in pace dilatauit, in iudicio rectus, & largitate ac lenitate claruit. Synoda à ſuis deceſſoribus facta firmauit. Toleti deceſſit.

Era DCLXXXII. anno imperii iunioris Heraclii primo Chindaſuinthus regnauit

ſolus

ſolus quatuor annis menſibus octo: poſtea vero cum filio ſuo Receſuintho annis aliis ſex regnauit & menſibus ſeptem. Iſte à Romano Papa obtinuit priuilegium, vt ſecundum beneplacitum pontificum Hiſpanorum, primatiæ dignitas eſſet Hiſpali, vel Toleti, & per multa ſynoda firmata cum epiſcopis erudiuit eccleſiam. Cuius tempore ab omni perturbatione quieuit Hiſpania, adeo vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui rebellionis ſumeret arma. Libros ſanctorum patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta beati Iſidori firmiter obſeruari. Hic perfidum Theodiſclum Hiſpalenſem epiſcopum Synodalis ſententia exulauit: & dignitatem primatiæ tranſtulit ad eccleſiam Toletanam. Obiit Toleti.

Era DCLXXXVI. anno imperii Conſtantis filii Heraclii primo cum Chindaſuintho Receſuinthus filius eius regnauit annis ſex, & poſtea ſolus annis duodecim. Hic fidem catholicam in tantum dilexit, vt ſemper perquireret viros litteratos qui frequenter coram ipſo conferrent de articulis fidei. Delectabatur enim in diuinis ſcripturis: & altaria Chriſti auro, argento, gemmis, & ſericis ſummo ſtudio decorabat. Ter Synoda cum epiſcopi Toleti peregit: & leges à prædeceſſoribus ſuis editas firmauit, atq; quaſdam addidit omnino honeſtati conuenientes. Cunctos mire dilexit, & ab omnibus valde dilectus fuit. Erat enim adeo mitis & humilis, vt inter ſubditos, quaſi vnus ex illis videretur. In pace regnum ſibi ſubditum rexit: & in villa nomine Gerticos, quæ in monte Caurienſi ſita eſt, propria morte deceſſit ſub Imperatore Conſtantino. Hucvſque beatus ſcripſit Illefonſus Hiſpaniarum primas & Archiepiſcopus Toletanus: qui tempore dicti Regis Receſuinthi quaſi Lucifer inter ſidera, tam morum honeſtate quam ſignorum claritate fulſit in eccleſia Dei. Qui etiam donis cæleſtibus à perpetua virgine Dei genetrice Maria & Leocadia in præſenti vita meruit honorari.

Era DCCIIII. poſt Receſuinthum Bamba regnum Gotthorum rexit nouem annis. Hic Toleti ea hora qua vnctus eſt in Regem cum quadam euaporatione viſa eſt apis, à cunctis qui aderant, ex capite eius exire & ad cœlos volare. Hoc ſignum factum eſt à Domino, vt futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, & dulcedinem pacis, quam habuit erga ſuos. Aſtures enim & Vaſcones in finibus Cantabriæ crebro rebellantes edomuit, & ſuo imperio ſubiugauit. Ciuitatem quæ Cartua vocabatur, ampliauit: & eam Pampilonam quaſi Bambæ Lunam vocauit. Prouinciam quoque Galliæ, quæ Hiſpania citerior dicitur, ſibi rebellantem multis agminibus Francorum interemptis ſubiugauit: & Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit, eique oculos euellere præcepit, & ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuerſus, diſcordantes pontifices, eo quod alii aliorum parrochias inuadebant, ad concordiam ſtuduit reuocare. Fecit enim chronicas Regum priorum coram ſe legere, vt facilius poſſet terminos parrochiarum diuidere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris cenſura, & iura propria quælibet eccleſia poſſideret, ſicut ſubiecta demonſtrat ſcriptura.

Primus Rex Vandalorum Gundericus regnauit in Gallециæ & Aſturiarum partibus annis decem & octo. Iſte ædificauit ciuitatem in Aſturiis quam vocauit Luceo ſiue Lucum. Quo mortuo frater eius Giſericus regnauit pro eo. Quo mortuo Hunericus regnauit pro eo. Quo mortuo Traſemundus regnauit pro eo. Quo mortuo Hildericus regnauit pro eo. Quo mortuo Gilimer ſub quo ceſſauit regnum Vandalorum, regnauit pro eo. Iſti omnes Lucenſem eccleſiam dotauerunt: quæ auctoritate Romana permanet libera & nunquam fuit ſubdita vlli metropoli. Teneat igitur dicta Lucus totas Aſturias per Pyrenæos montes & per flumen magnum Ouæ, & per totum littus maris Oceani vſque Viſcayam, per ſummum roſtrum, per ſummum Cabrium, per portas de ſancta Agatha, per Pozazalem, per Lumbam, de Folios, vna cum campo Erbolio, Gordon, Aluam vſque ad illam arborem de Quadros, per riuulum de Vmania, Lunam, Radabiam, Paredes, Flazianam, vſque ad Pyrenæos montes, Coiancam, Villam Queixidam, per Coiamquillam, & Ventoſam, vſque ad flumen Vrbicum, in Gallecia Suarnam, Vallem longam, Veram flamoſam, totam Sarriam, Paramum vſque ad flumen Minæum, totam Lemos, Vmimzo & Veroſino, & Semiuiano & Froilano vſque ad flumen Silum, totam Luniam cum eccleſiis de Petraio quæ ædificatæ ſunt, vel fuerunt inter Arnoium flumen & Silum à termino montis Baron & per aquam Zoræ vſque in fundum Arnoiæ, & per ipſum diſcurſum vſque flumen Minæum in Veza vſque Portellam Deuanati, & eccleſias de Salar inter Arnoiam & Silum cum eccleſiis de Barroſo, Caſtellam Cuſancam, Barbantes & Amon, Aſmam, Cambam, Auiancos: ſicut dictam eccleſiam Lucenſem Reges Vandali dotauerunt.

Poſt Vandalos cæperunt regnare Sueui: quorum primus fuit Rex Hermericus, quo mortuo Recchila regnauit pro eo. Quo mortuo Recciarius regnauit pro eo, quo mortuo Frumarius regnauit pro eo, quo mortuo † Remiſmundus regnauit pro eo, quo mortuo Theodemundus regnauit pro eo. Rex iſte catholicus fuit: & fecit celebrare concilium in Gallecia apud Lucenſem vrbem. Interfuit huic concilio cum cæteris epiſcopis Galleciæ Adaulfus Legionenſis epiſcopus ad ſubſcriptam diuiſionem roborandam: quæ fuit prima diuiſio & facta eſt hoc modo.

Maſdra

Legio quam condiderunt Romanæ legiones, quæ antiquitus flos fuit vocata & per Romanum Papam gaudet perpetua libertate, & à noſtris prædeceſſoribus extat ſedes regia, atque alicui metropoli nunquam fuit ſubdita, teneat per ſuos terminos antiquos, per Pyrenæos montes & per Penam Vbeam vna cum media Leuaci, Ceruam, Petras nigras, Auiam vſque ad flumen Carrionem, per illam Sernam, per riuulum Siccum vſque ad Villam Ardecam. Per Coreſinos vſque in Caſtro Pepe, per villam † Mannam vſque in arborem de Quadros. Infra fines etiam Galleciæ tria caſtella, Turtures, Datineum, Cancellatam, & Nauiam, ſicut eam dotauerunt Romani & Reges Sueuorum.

Rubeam

Metropolis Bracarenſis teneat centum cellas Gotthis millia, Lameto Giliolis Adoneſte, Aportis, Arlo, Carrandonis, Laubis, Ciliotro, Letunio Ceréſis, Petroneo, Equiſis, Adſaltu, item Pago, Pannonias, Latera, Bregancia, Aſtiatico, Turego, Armego, Merobrio, Bereſe, Palantuſino Celo Senequino Vmio, familia regia de Egitanienſi tota Egitania, Mene, Cibio & Francos.

Ad ſedem Portugalenſem & in Caſtro nouo eccleſiæ quæ in vicino ſunt, Villanoua, Betaonia, Veſea, Menturio Torebio, Banuaſte, Pongoaſte, Lunibo, Neſcis, Napoli, Curmano, Magneto, Leboreto, Melga, Tongobia, Villa Gomedei, Taunaſſe. Item Paga, Lambrenton, Aliobo, Vallericia, Turlugo, Cepis & Mendolas, & Palencia ſub vno viginti quinque.

Ad Lemegum ipſum Lamegum Tuencia, Amuca, Cantabriano, Omia & Caminus ſub vno ſex. Ad Conimbrienſe, ipſam Conimbriam, Suninio, Selio, Lurbinie, inſula, Aſtuſiane & Portugale, Caſtrum antiquum, ſub vno ſeptem.

Ad Veſenſem, ipſum Veſea, Rodomiro, Subinoncia, Suberbeno, Oſania Ouelione, Tutela, Goleia, & Caliabria, qui apud Gotthos poſtea ſedes fuit ſub vno nouem.

Ad Iriam ipſam Iriam, teneat deinde vſque Cuſanea, & de Caldas de Rege vſque in oram maris Oceani.

Ad Lucenſem ipſa ciuitas cum adiacentia ſua, cum Cauroquia, Seuies, Carabairos, Mõte nigro, Parraga, Latra, Azuniana, Gogios, Tauada, Pogonti, Salauetera, Monte roſo, Dorradeca, Goleam ſub vno XIIII.

Ad Aurienſem Sedem, Veſugio, Biuiale, Teporos, Geurſos, Pinera, Caſauia, Vereganos, Sanabria, & Calabazas maiores ſub vno decem.

Ad Aſtoricam ſedem, ipſa Aſtorica, Legio, Superurbico, Berizo, Petra, Speranti, Tibris, Callellas, Murellos ſuperiore & inferiore, Semure, Frigellos, & Beſicos. Sub vno vndecim.

Ad Tudenſem, ipſa Tude cum eccleſiis, quæ in vicino ſunt, Torello, Tolobera, Ludo, Patre, id eſt, Paga, Agnoue, Sagirica, & Bilione, Cauda, Omia, & Cartaſſe. Sub vno quindecim.

Ad ſedem Bretonicam eccleſiæ quæ in vicino ſunt intra Britones, vna cum monaſterio Maximi vſque in flumen Ouæ.

Rex Bamba vt ſupra ſcriptum eſt, diuiſionibus Epantuum confirmatis, cæteras imperii ſui ſedes diuiſit, ſic dicens: Toletum metropolis, regia ſedes, inter cæteros Hiſpaniæ quandiu huic ſancto cætui placuerit, metropolitanos, teneat primatiam. Oreto teneat de Galla vſque Ecigiam. De Petra vſq; Campaniam. Beacia teneat per terminos de Oreto, & de Meteſa, & Acci. Meteſa teneat de Ega vſque Securam, Belida vſq; Puligenam. Acci de Secura vſque Montana, de Archetel vſq; Caracoie. Baſti teneat de Montana vſq; Geſtam, de Rauca vſq; Ruſicam, Vrgi teneat de Geſta vſque Carthaginem, de Gaſtri vſq; Midam. Bagaſtri teneat de Pugilla vſq; in Soloniam, de Secta vſque in Lumbam. Ilici teneat per terminos Bagaſtri, Setabi & Deniam. Setabis teneat de Cuſto vſq; ad Moletam. De Togola vſq; Vnitam. Denia teneat de Zoza vſque Vnitam, de Sylua vſque † Gil. Valentia teneat de Sylua vſq; Muretum de mari vſq; Valerianum. Valerianum teneat de Alpont vſq; in Tarabellam. De Firzerola vſq; Innar. Secobrica de Tarabella vſque Obuiam, de Toga vſque Brecam. Ercabica teneat de

Gul

Alcont

Alcont vſque ad Obuiam, de Mora vſque Luſtram. Compluto de Alcont vſque ad Cortem. Segontia teneat de Corte vſque in Furcam, de Godol vſque in Pinnam. Oxoma teneat de Furca vſque Aſlanzon quomodo currit Caminus ſancti Petri qui vadit ad ſanctum Iacobum. De Garrafe vſque Ermitas. Secobia teneat de Valle. De Alemeht vſque Mambellam. De Montel vſque Vaſadota. Palencia teneat de Mambella vſque Caltam, de Valbona, vſque Fortoſam. Hæ ſunt ſedes decem & nouem immediate ſubditæ Archiepiſcopo Toletano.

Sedes ſubditas Hiſpalenſi metropoli, quæ hactenus prima fuit, ſedes Hiſpaniarum diuidimus ſic. Italica teneat de Vlca vſque Bulſam, de Aſa vſque Lamolam. Aſſidona teneat de Buſa vſque ad Semam, de Lateſa vſque viam latam. Elepa teneat de Sema vſque Datam, de Abiſa vſque Corteſam. Malaga teneat de Data vſque Meleocam, de Tenna vſq; Sedes Campo. † Iliberri teneat de Malaca vſque Sotellam, de Alonica vſque Sedile. Aſtigi teneat de Sotella vſque Parietem, de Lueca vſque Taucam. Corduba teneat de Pariete vſque Vbetam, de Galla vſque Ronam. Egabro teneat de Vbeta vſque † Malam Saiam, de Garta vſq; Suetam. Tucci teneat de Mala Saia vſque Abalagar, de Gigera vſque Calonam. Hæ ſunt nouem ſedes epiſcopales immediate ſubditæ Archiepiſcopo Hiſpalenſi prouinciæ Beticæ.

*Eliberri*

*Mala Saxa*

Sedes Emeritenſis metropolis diuidimus ſic. Pace teneat de Balagar vſque Artam, de Olla vſque Mataual. Vliſbona teneat de Arta vſque Ambiam, de Olla vſque Matar. Elbora teneat de Sotebra vſque Petram de Rutella vſque Paratam. Oxonoba teneat de Ambia vſque Sallam, de ipſa vſque Turrem. Egitania teneat de Sala vſque Nauam, de Sena vſque Mauriellam. Conimbria teneat de Naua vſque Borgam. Viſeum teneat de Borga vſque Sortam, de Bonella vſque Ventoſam. Lamecum teneat de Sorta vſque Petram, de Tara vſque Ortoſam. Caliabria teneat de Sorta vſque Albenam, de Soro vſque Faram. Salamantica teneat de Albena vſque Sotobiam, de Ruſa vſque Siberam. Numancia, quam noſtrates Gotthi poſtea vocauerunt Zemoram, teneat per Pennam Goſendi vſque ad Tormem, ſuper illos balneos de Valle de Rege vſque ad Dorium de Vilalalle vſque ad Oterum de Fumus, ſecus riuulum Siccum, vſq; Breto, de Tauara vſque Dorium. Abula teneat de Petra vſque Villam, de Maſeo vſq; Terrero. Cauria teneat de Villa vſque Tagum, de Aſar vſq; Pumar. Hæ ſunt ſedes tredecim immediate ſubditæ Archiepiſcopo Emeritenſi prouinciæ Luſitaniæ.

Legio ciuitas ſacerdotalis & regia, & Lucus quam Vandali ædificauerunt in Aſturiis, teneant per ſuos terminos antiquos, ſicut eis diuiſit Theodemirus Rex Sueuorum, & nulli vnquam ſubdantur Archiepiſcopo vel Primati. Sedes etiam Portugaliæ permaneant in ſua diuiſione ſicut eis diuiſit Rex Theodemirus cum his quæ nos eis adiecimus.

Sedes Bracarenſis metropolis, ſicut eis ordinauit Rex Theodemirus, ita eas permanere mandamus & hos terminos eis ſuperponimus. Dumio teneat de Duria vſque Albiam, de Rumeca vſque ad Aram. Portugale teneat de Lobia vſque Loſolam, de Olmos vſque Solam. Calcidonia quam Sueui vocauerunt Tudam, teneat de Toloſa vſque Lagunam, de Monte albo vſque Fetoſam. Auria teneat de Cuſanea vſque Silam, de Vezeganos vſque Calabazas maiores. Iria teneat de Iſſum vſq; Cuſancam, de Caldas de Rege vſque in oram maris Oceani. Lugo teneat de Laguna vſque Boſam, de Monte Soto vſque Quintanam. Britonia teneat de Buſa vſq; Torrentes, de Occoba vſque Tobellam & vſq; Ouem. Rama quam Vandali vocauerunt Aſtoricam teneat de Tarrentes vſq; Samoiam, de Homania vſq; ad montem Gerod. Hæ ſunt octo ſedes epiſcopales immediate ſubditæ Archiepiſcopo Bracarenſi prouinciæ Galleciæ.

Poſt hęc diuiſit Rex Bamba ſedes Terraconæ metropolis. Terragona metropolis teneat inſulas Baleares, Maioricam ſcilicet, & Minoricam, & Formenteram, & Vzeticam. Bartinona teneat de Minoniam vſque Pagellam, de Vſa vſque Bordel. Exara de Bordel vſque Palladam, de Monteſa vſque Portellam. Gerunda teneat de Pallada vſque Inſtamant, de Aloſa vſque Impurias. Impurias teneat de Inſtamant vſque Brecam, de Ventoſa vſque Gilbam. Auſona teneat de Borca vſque Auratam, de Bulga vſque Menticim. Vrgello teneat de Auratam vſque Vaſanam, de Mucana vſque Valam. Lerita teneat de Vaſona vſque Fontem Salam, de Loram vſque Matham. Hictoſa teneat de Fonte Salam vſque Porrellam, de Morale vſque Tormalam. Tortoſa teneat de Porrella vſque Damam, de Termoga vſque Cathenam. Cæſarauguſta teneat de Mania vſque Splanam, de Ribas montes vſque Gordollo. Oſca de Splana teneat vſque Cobello vſque Muſtellam, de Lotica vſque Tallam, de Mu-

ſtella teneat vſque Nampiam, de Sparga vſque Oſtaual. Calaforra teneat de Mampia vſque Spargam, de Muſtela vſque Lacalam. Tiraſona de Sparſa vſque Platenam, de Altomonte vſque Milloſam. Auca teneat de Platena vſque ad Maiam, de Villainferno vſque Pedemoram. Hæ ſunt ſedes quindecim immediate ſubditæ Archiepiſcopo Terragonæ prouinciæ Terraconenſis.

Diuiſio autem ſedium Narbonenſis metropolis hæc eſt. Beterris teneat de Scalath vſque Barcinonam, de Macay vſque Ribofora. Agathe teneat de Ruſa vſque Riberam, de Gallar vſque Nurlam. Magalona teneat de Nurla vſque Ribogar, de Caſtello vſque Sambiam. Lateua teneat de Sambia vſque Ribanal, de Anges vſque Montem Rufum, Carcaſſona teneat de Monte Rufo vſque Angeram, de Angoſa vſque Montanam. Elna teneat de Angera vſque Roſmalam, de Latorſa vſque Lamaſam. Hæ ſunt octo ſedes immediate ſubditæ Archiepiſcopo Narbonenſi prouinciæ Galliæ, vel Hiſpaniæ quæ citerior dicitur. Et fiunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta ſub dominio Gotthorum tam Archiepiſcopales quam epiſcopales, per quas nobis miniſtratur verbum Dei, qui à Romano Papa accipiunt communionem catholicæ veritatis, vt in fide Chriſti ſecundum traditionem & doctrinam ſanctorum patrum animas ſibi commiſſas valeant gubernare. Hæc igitur noſtra diuiſio quæ de aſſenſu omnium archiepiſcoporum & epiſcoporum dictarum ſedium auctore Deo facta eſt, firma permaneat in æternum.

Hæc omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Bamba in concilio Toletano: vbi omnes Archiepiſcopi & epiſcopi Hiſpaniarum conuenerunt. Quæ ſubſcriptione omnium confirmata ſunt. Quirico Toletano Archiepiſcopo & primatiæ dignitate & fide catholica conſiſtente: ſtatutum eſt præterea in dicto concilio, vt omnes clerici viuerent ſecundum regulam ſanctiſſimi patris Iſidori, prout continetur in libro eiuſdem de honeſtate clericorum. Et quicumque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas clauſtralis clericus, vel ſæcularis pro dignitate vel ordine, aut aliquo eccleſiaſtico beneficio munera daret Regi, ſiue alicui aliæ perſonæ, illum excommunicatione perpetui anathematis innodarunt.

Hæ ſunt ciuitates & oppida quorum nomina antiquitas, vel Sarraceni mutauerunt. Quæ ne generent ambiguitatem legentibus vniuſcuiuſque ciuitatis, vel oppidi nomen pro parte memoremus. Hiſpalis, id eſt Iulia Romula, Sibilia, Aſſidonia, id eſt Sidonia, † Illiberri, id eſt Granata. *Eliberri* Aſtigi, id eſt Belſa. Egabro, id eſt Cabra. Auccis id eſt, Xarez. Pace, id eſt, Badaios. Oxonoua, id eſt, Seduma. Egitania, id eſt, Lucenia. Caliabria, id eſt, Montages. Ferrezola, id eſt, Toletum. Oreto, id eſt, Calatraua. Menteſa, id eſt, Iaen. Acci, id eſt, Guadiez. Vrgi, id eſt, Almaria. Ilici, id eſt, Berga. Setabis, Xatiua. Compluto, id eſt, Guadalfaiara. Alcala etiam quondam Compluto vocabatur. Elbora, id eſt, Talauera. eſt in Portugalia ciuitas quæ dicitur Ebora. Vrſaria, id eſt, Madrit. Numancia, id eſt, Zemora. Moriana, id eſt, Caſtrum Taraph. Campus Gotthorum, id eſt, Taurus. Flos, Legio, Leo. Coranca, id eſt, Valencia. Malgrat, id eſt, Benauentum. † Duruetrũ, id eſt, Saluaterra. *Muruetrum* Rama, id eſt, Aſtorica. Ariſcoma, id eſt, Mindonedo. Domnos ſanctos, id eſt, Sanctus Facundus. Calcidonia, id eſt, Tuda. Epiſcopatus Lucenſis in Aſturiis translatus eſt ad Ouetum, & dicitur Ouetenſis. Epiſcopatus Aucenſis translatus eſt Burgis, & dicitur Burgenſis. Quem eccleſia Romana ſicut Legionenſem, vel Ouetenſem donauit perpetuæ libertati. Campus ſtellæ, id eſt, ſanctus Iacobus: ad cuius eccleſiam translatus eſt Archiepiſcopatus Emeritenſis. † Martua, id eſt, Pampilona. *Cartna* Tritio, id eſt, Naiera.

## HIC INCIPIT IVLIANVS EPISCOPVS *Toletanus*.

SOLET virtutis eſſe animorum incitamentum triumphorum pulchra relatio animoſque nobilium ad virtutis attollere ſignum, quidquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum. Habet enim humani moris natura pigrum quendam internæ virtutis affectum: vnde contingit quod non tam citatior ad virtutes, quam ad vitia procliuior reperitur. Et niſi iugi exemplorum vtilium inſtructa fuerit prouocatione aſſidua, frigida remanet & torpeſcit. Hac de re vt timidis & pigris mederi poſſit, relationem præteritæ rei noſtris temporibus geſtam inducimus: per quam ad virtutem ſubſequentia ſecula prouocemus. Affuit in diebus noſtris Bamba princeps clariſſimus de regali ſanguine ortus, quem digne principari dominus voluit, quem ſacra vnctio decora-

decorauit, quem totius gentis & patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquiſiuit: qui ante regni faſtigia multorum relationibus pręconio celebri prædicatur. Antequam regnaret, dum decedentis Receſuinthi Regis morte exequiale funus ſolueret, inter ipſa elemēta in vnam omnes concordiam verſi, vno affectu pariter prouocati illum ſe deſiderio habere principem clamant. Illum nec alium in Gotthis poſſe principari vnitis vocibus intonant: & cateruatim ſuis pedibus obuoluti, vt regimen regni ſuſcipiat, inſtant cum lachrymis poſtulantes. At ille cuius mentem fortitudo firmauerat, nec lachrymis cedit, nec precibus vincitur, nec voto flectitur populorum, modo ſe non ſuffecturum tot ruinis imminentibus clamans modo ſenio confectum ſeſe pronuncians. Cui acriter reluctanti vnus ex officio ducum audacter in medium proſiliit: & minaci contra eum vultu educto gladio proſpiciens dixit: Niſi conſenſurum te nobis promittas, gladii huius mucrone modo truncandum te ſcias: nec hinc tandiu exibimus, quādiu aut expeditio noſtra te Regē accipiat, aut contradictionē cruētus hic hodie caſus mortis abſorbeat. Quorum non tam precibus ſuperatus, quam minis tandem ceſſit: regnumque ſuſcipiens ad ſuam omnes pacem recepit. Et tamen ne citra locum ſacræ ſedis Toletanę regni ſacram ſuſciperet vnctionem, diſtulit vſque ad nonam decimam diem, ne videretur ambitione vſurpaſſe, vel furatum eſſe regni gloriam, ſed potius ſignum tanti culminis à domino percepiſſe. Gerebantur enim iſta in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit: quæ fere centum viginti milliariis ab vrbe regia diſtans in Salamanticenſi territorio ſita eſt. Ibi enim vno eodemque die, ſcilicet in Kalendis Septembris, & decedentis Regis vitalis terminus fuit, & dicti viri electio ſubſecuta. Poſtquam autem Toletanam vrbem ingreditur, & ventum eſt, quo ſanctæ vnctionis ſuſciperet ſignum, regio iam cultu conſpicuus, ante altare diuinum conſiſtēs, ex more catholicam fidem profeſſus cum ſacramento iurandi fidem populis reddidit: & mores bonos prædeceſſorum Regum atque leges firmauit. Deinde curuatis genibus oleum benedictionis per ſacri primatis & Pontificis Quirici manus vertici eius refunditur, & benedictionis copia exhibetur. Vbi hoc ſtatim emicuit mirabile ſignum: nam mox è vertice ipſo, vbi oleum ſanctum perfuſum fuerat, euaporatio quædam fumo ſimilis in modum columnæ ſeſe erexit: & ex capite ipſo apis viſa eſt proſiliiſſe, & aeris alta petiiſſe: quæ vtique ſignum fuit ſecuturæ felicitatis. Poſt hæc quam glorioſe regnum rexerit non eſt noſtræ diſſerere valetudinis.

Conſiſtente igitur in quiete pacifica regno, Galliarum terra euerſionis ſuæ nutriuit decipulam. Etenim ſubito in ea vnus turbo infidelitatis aſſurgit: & conſenſio perfidiæ per vnum ad plurimos tranſit: atque rebellio contra Regem & patriam agitatur. Huius enim caput tyrannidis Hildericum eſſe, ſui criminis infamia refert. Qui Nemauſenſis vrbis curam ſub comitali præſidio gerens, non ſolum nomen ſed titulum & opus ſibimet infidelitatis aſſumpſit, adiungens etiam ſibi prauitatis ſuæ ſocios Gumildum Magalonenſis ſedis deteſtandum antiſtitem & Ramirum Abbatem: quorum fauore in patriam Iudæorum gentem perfidam euocauit contra conſtituta regni Gotthorum. Huius igitur criminis caput Hildericus, cum per diuerſos ignem ſuæ infidelitatis accenderet, Nemauſenſis vrbis epiſcopum vitæ beatæ Aregium ad perfidiam notam trahere nitebatur. Quem caſto ore, conſtantique corde repugnare ſuis conſiliis cernens, loci dignitate priuatum, pondere vinculorum onuſtum, in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit illudendum: deinde in ſublati pontificis locum ſuæ perfidiæ ſocium Ramirum Abbatem intruſit epiſcopum. In cuius electione nullus ordo attenditur, nulla principis vel metropolitani definitio præſtolatur: ſed erecto ſuperbiæ faſtu, contra interdicta maiorum à duobus tantum pſeudoepiſcopis ordinatur. Peracto tempore temeritatis prouentu Hildericus, Gumildus, atque Ramirus terminos ſibimet ſuæ coniurationis ſtatuunt, & à loco vbi vocabulum dicitur mons Cameli, vſque in Nemauſum terram Galliæ diuidunt, ſuetæ coniurationi aſſociant. Ab infidelitate fidelitas ſuperatur. Collecta dein manu ciues depopulantur, labores exterminant, opes exhauriunt, & totam prouinciam Galliæ deprædantur. Cucurrit hæc fama ad principem Bambanem, qui mox ad extinguendum ſeditioſorum nomē, exercitum per manum Pauli ducis, qui erat de Græcorum nobili natione, in Gallias deſtinauit. Qui Paulus tepide cum exercitu gradiens à bello abſtinuit: & ſtudio quo valuit animos militum ab eo quo ardebant præliādi furore ſubmouit: & promiſſam religioſo principi fidē omnimode violauit. Egit hoc arcano quodam cōſilio, vt ad affectatum perueniret faſtigiū, allectis ſibi perfidiæ ſuæ ſociis

Ranoſindo Tarraconenſis prouinciæ duce, & Hildigiſo ſub Gardingatus adhuc officio conſiſtẽte. Quod votum peruerſi ſui deſiderii incredibili efficere celeritate intendens, collectis vndique populis ſimulate ſe pugnaturum contra ſeditioſos enunciat. Quod vir vitæ venerabilis Argebaudus Narbonenſis antiſtes ſubtiliſſima quorundam relatione vt comperit, aditum illi ciuitatis intercludere niſus eſt. Sed nec iſta opinio latuit Paulum: vnde priuſquam Argebaudus quod cogitauerat, effectibus manciparet ſubito propero curſu Paulus cum exercitu Narbonenſem vrbem ingrediẽs, portas ciuitatis ſub ſuorum armatorum præſidio obſeruari præcepit. Vbi dum circumfuſa omnis exercitus multitudo collecta eſt, vipereum caput perfidiæ cum quibuſdam ſociis ſuis Paulus ipſe medio aſtitit obiurgans prius epiſcopum, cur illi ciuitatis aditum intercludere niteretur. Poſt hæc tyrannidis ſuæ conſilium proditur, & diuerſo fraudis argumento fidem populorum degenerans ad irrogandas iam ſancto Bambæ Regi iniurias animos ſingulorum inflammat. Iurat principio ipſe Paulus ſe nullo modo illum Regem poſſe habere, nec in eius conſiſtere vlterius famulatu: & etiam addidit dicẽs. Caput regiminis ex vobis ipſis eligite, cui omnis multitudo cedat, & qui in vobis appareat deuote & humiliter principari. Cui vnus ex coniuratis maligni ipſius conſilii ſocius Ranoſindus applaudens Paulum ſibi Regem deſignat, Paulum ſibi nec alterum populis Regem futurum exoptat. Ad hæc cæteri coniurationis conſcii Paulum Regem conacclamant, & totius populi animos ad ſua vota inclinant. At vbi idem Paulus ſui conſilii accelerationem inſpexit, conſenſum illico propriæ voluntatis adhibuit: & iam re ſibi omnes coegit. Poſt hæc Paulus regnum arripuit: & nefaria temeritate coniuratorum cateruam illam, quam armorum virtute non cepit, opere perfidię ad ſe traxit. Nam Hildericum Comitem, & Gumildum atq; Ramirum pſeudoepiſcopo abſq; difficultate ſuæ perfidiæ ſociauit: & tota prouincia Galliæ ſubito in coniurationis arma concurrit. Nec ſolum Gallia ſed & pars Tarraconẽſis prouinciæ coturnum rebellionis attentat. Fit tota Gallia repẽte conciliabulum perfidorum, parata mori pro defenſione perfidæ prauitatis. Paulus autem dum iniquitatis ſuæ ſocios multiplicatos numero laboraret efficere, datis promiſſiſque multis muneribus Francorum Vaſconumque nimiam multitudinem in ſui auxilium congregauit, & expectabat tempus opportunum, quo poſſet in Hiſpaniam pugnaturus accedere, præreptumque regni faſtigium vendicare.

Cum hæc in Galliis agerentur, glorioſus Rex Bamba Vaſcones rebellantes debellaturus aggrediens in partibus Cantabriæ morabatur. Vbi dum de iis quæ in Galliis gerebantur, nuncium celerem recepiſſet, mox negotium primatibus palatii innotuit pertractandum: vtrum poſſent exinde in Gallias pugnaturi accedere an reuertentes ad propria, & collectis vndique viribus, cum multiplici exercitu itineris tam longinqui arriperent commeatum. In quo bicipiti conſilio nutantes multos princeps aſpiciens, ac omnes admonitione alloquitur dicens: Ecce iuuenes exortum malum audiſtis: & quo ſe munimine incentor ſeditionis huius armauerit agnouiſtis. Præuenire ergo hoſtem neceſſe eſt, vt ante præueniatur bello, quam in ſuo creſcat incendio. Turpe ſit talibus dimicaturi in occurſum non ire: aut domos noſtras priuſquam intereant repedare. Ignominioſum nobis videri debet, vt Paulus patriæ proditor, qui rebelles noſtros non potuit armis ſubiicere, tantæ gloriæ viris audeat repugnare. Et qui abiectiſſimam & imbellem gentem deuincere non valuit pro quiete patriæ, Gotthorum militiæ hoſtem audeat ſe præbere. Quaſi effæminatos & molles nos vſquequaque diiudicans, qui vtique nullis viribus, nullis armis, nulliſque conſiliis eius tyrannidi reſiſtere valeamus. Reuera animoſitatem & virtutem Gotthicæ gentis bellorum triumphis à ſeculo orbis expertus eſt vniuerſis: & quæ erit perituro illi virtus, etſi Francorum viribus nobiſcum decertando confligat? vtique notiſſima eorum nobis neque incerta eſt pugna, ſæpius enim à Gotthis contra hoſtes, defenſionis auxilium magnis precibus impetrarunt. Igitur turpe ſit vobis eorum acies vel ad horam expaueſcere: quorum noſtis infirmiorem ſemper eſſe virtutem. Et ſiue Galli ſiue Franci ſint, tantæ coniurationis vindicandum ſentiant facinus: quia armis vltricibus gloriæ noſtræ nomen vendicare debemus. Tamen non cum fæminis ſed cum viris vobis certandum eſt, quanquam notiſſimum maneat, nec Francos Gotthis aliquando poſſe reſiſtere nec Gallos aliquid ſine illis virtutis perficere. Quod ſi alimentorum ſeu vehiculorum neceſſitatem apponitis, ſcitote quia glorioſius eſt triumphum in neceſſitatibus conquiſiſſe, quam in abundantia bella exquiſita conficere. Auguſtius enim ſemper eſt, quod plus tolerantia quam ſuffectus rei nobilitat. Exurgit etiam ad victoriæ ſignum nomen diſperditum perfidorum. Gallorum

lorum ingratuitas veſtrum inflammet animum, quia Franci illos ſemper ſeruitute miſerabili oppreſſerunt, quos Gotthi dederunt bellicis gladiis nobiliſſimę libertati. Dum ergo calor eſt animi nulla debet eſſe remoratio properandi. Dum ira animos vrget, nulla nos debet retardatio impedire. Quin potius ſi fieri poſſet ſine intermiſſione proficiſcendi ſuſceptum iter aggredi, multo facilius poterimus hoſtium noſtrorum caſtra ſubuertere. Nam vt quidam ſapiens ait: Ira præſens valet, dilata langueſcit. Et illud: Nocuit differre paratis. Non igitur opus eſt retro verti militem, quoniam impiger acceſſus belligerandi facit eſſe victorem. Adhuc ergo Vaſconibus cladem illaturi accedamus. Deinde ad ſeditioſorum nomen extinguendum protinus feſtinemus.

Cum hæc peroraret Bamba Rex prudentiſſimus inualeſcunt animi omnium & ardenter exoptant fieri, quod iubentur, & ſtatim omnis exercitus Vaſconiæ partes ingreditur: vbi per ſeptem dies vſquequaque per patentes campos deprædatio & hoſtilitas caſtrorum domorumq; incenſio tam valide acta eſt, vt Vaſcones feritate depoſita vitam ſibi dari, datis obſidibus pacemq; largiri, non tam precibus quam muneribus exoptarent. Vnde acceptis obſidibus tributiſq; ſolitis, & pace compoſita directo itinere in Gallias profecturi accedunt per Calafurram & Oſcam tranſitum facientes. Poſt hæc Rex Bamba in tres turmas exercitum diuidit, ita vt vna pars ad caſtrum Libiæ q̃ eſt Aquitaniæ caput tenderet. Secunda per Auſonenſem ciuitatem Pyrenæi media peteret. Tertia vero per viam publicam iuxta ora maritima graderetur. Ipſe etiam religioſus princeps cum multiplici bellantium manu ſubſequebatur. Sed quia inſolens quorundam ex noſtris motio non ſolum prædæ inhiabat, ſed etiam cum incẽſione domorum adulterii facinus perpetrabat, tanto diſciplinæ vigore iam dictis princeps de his & quibuſdam aliis vitiis ſcelus vindicabat nequiter perpetratum, vt grauiora in iis ſupplicia illum putares impendere, quam ſi hoſtiliter contra illum egiſſent. Teſtantur hæc ab illis adulteris abſciſſa membra virilia, quibus pro fornicatione hanc vltionis irrogabat iacturam. Dicebat enim. Ecce iam iudicium imminet belli & libet fornicari vt Deus ad iracundiam prouocetur. Vt credo ad examen pugnæ acceditis, videte ne in veſtris ſordibus pereatis. Nam ego ſi iſta non vindico, iam ligatus inuado. Ad hæc ergo vadam, vt iuſto Dei iudicio capiar, ſi iniquitatem populi videns ipſam nõ puniam. Fruſtra enim pergit ad bellum vt vincat quem iniquitas comitatur. Exemplum vobis præbere debet, quod Heli ſacerdos ille in diuinis litteris eruditus, qui pro ſceleribus neglexit filios increpare: & ideo illos in bello didicit concidiſſe: ipſe quoque filios;ſequens fractis ceruicibus expirauit. Hæc igitur nobis timenda ſunt, & ideo ſi purgati maneamus à crimine, non erit dubium quod triumphum capiamus ex hoſte. Sub iſta, vt præmiſſum eſt, diſciplina princeps Bamba exercitum glorioſe perducens, mores ſingulorum ſub diuinis tenens regulis, proſperari ſibi videbat per incrementa dierum diſpoſitum belli & victoriam præliandi. Sicut enim erat regali Gotthico clariſſimus genere, ſic erat magnanimus mente, ſic & abundans ſcientia litterali. Itaque prima ex rebellione omnium ciuitatum Barcinona in poteſtate principis religioſi adducitur, deinde Gerunda ſubiicitur. Huius ciuitatis venerabili viro Amatori epiſcopo Paulus peſtifer ſub iſto ſenſu miſerat epiſtolam ſcriptam. Audiui quod Bamba Rex cum exercitu ad nos venire diſponat. Sed cor tuum non turbetur, nec enim hæc fieri puto. Et tamen quem primum de nobis ambobus tua ſanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipſum ſe credat habere dominum, & in eius debeat perſiſtere charitate. Hæc miſer ſcripſit neſciens, quod iuſtum contra ſe iudicium protulit. Vnde horum ſcriptorum verba Rex Bamba ſapienter coniiciens dixit. Non in his ſcriptis Paulus à ſemetipſo locutus eſt, ſed licet ignoranter, tamen illud cenſeo prophetaſſe. Egreſſus igitur poſt hæc princeps de ciuitate Gerunda belligeroſis incurſibus gradiens ad Pyrenæi montis iuga peruenit, vbi duobus diebus exercitu repauſato, per tres diuiſiones vt dictum eſt, exercitus Pyrenæi montis dorſa adiuit, & caſtra Pyrenaica quæ vocantur Caucolibeum, Vulturariam & Libiam mirabili victoriæ triumpho cepit, atque perdomuit, multam copiam in his caſtris auri & argenti reperit, quæ copioſis exercitibus in prædam ceſſit. Excuſſerat manus ſuas ab omni munere, vnde præliantium animos accendebat ad victoriam obtinendam. Caſtrum etiam quod vocatur Clauſuras, miſſis ante ſe exercitibus per duces duos facta irruptione cepit: ibique Ranoſindum Hildigiſum cum cætero agmine perfidorum, qui ad defenſionem caſtri conuenerant, exercitus capit, atq; deuinctis poſt tergũ manibus eos principi repræſentat. Vuitimirus vnus ex coniuratis, qui ſe in Sordoniam clauſerat, noſtros irrupiſſe perſentiens ſtatim fugit, & tantæ cladis nuntium Paulo Narbonem perlaturus acceſſit. Quæ res grandi timore tyrannum concuſſit.

Princeps vero religioſus prædictorum caſtrorum exercitu ſubiugato, in plana poſt tranſitum Pyrenæi montis deſcendens duob. tantum dieb. exercitum ad vnum cōgregaturus expectat. At vbi è diuerſis partib. collecta in vnū multitudo percrebuit, ſtatim per quatuor duces electum numerum armatorum ad expugnationem Narbonæ ante faciem ſuam mittit, aliumq; exercitum deſtinās, qui nauali prælio accederet bellaturus. Et quidem iam erant pauci dies ex quo de Narbona rebellis Paulus receſſerat ſeruiliter fugiendo, cōperto ꝙ tam feliciori prouentu pars religioſi principis properaret. Quā ciuitatem Paulus muniuit præſidio multiplici perfidorum & Vuitimiro duci ſuo commiſit. Quem cum noſtrorum exercitus blanditer hortaretur, vt ciuitatem ſine ſanguinis effuſione traderet, ꝓrſus renuit: obſeratiſq; ciuitatis portis muro, viua voce noſtrorum exercitum conuitiis deteſtatur. In principem quoq; religioſum maledicta congeminat, miniſq; conatur exercitum perturbare. Quod noſtræ partis animoſitas nō ferēs ſubita cordiū accenſione incanduit: & telorum iactu perfidorū ora petiuit. Immanis ab vtriſq; pugna cōſeritur: & ſagittis alternatim ſibimet partes obſiſtunt. Sed vbi ab vtriſq; fortiter agitur, tātos imbres lapidū noſtri intra vrbem cōiiciunt vt clamore vocū & colliſione petrarū ciuitas ſubuerti exiſtimaretur: vnde ab hora fere quinta diei vſq; ad octauam horā fundibulorū inſtantia acriter à noſtris pugnatū eſt. Incanduit itaq; noſtrorū animus victoriç dilationē ferre nō valēs, & ad portas propius pugnaturus acceſſit. Tūc victorioſa per Deū manu portas incēdunt, & ciuitatē victores ingrediuntur. Vbi dum Vuitericus adhuc armata manu eccleſiā peteret, acceſſu noſtrorū turbatus, poſt aram Dei genitricis ſe vindicaturū non reuerētia loci miſer ſed vltore gladio teſtabatur, dextera tenēs gladiū, & mortē minitans ſingulorū. Ad cuius ergo inſaniæ tumorē ꝓtinus comprimendū, vnus ex noſtris tabulā manu arripuit, & ferociſſimo ictu ſe ad illū direxit, at vbi tabula niſus eſt eū ingenti iactu percutere, mox in terrā tremebūdus proſternitur, protinuſq; capitur, & ferrū illi de manu extrahitur, viliter tractus pōdere vinculorū arctatur, verberibuſq; vna cū ſociis quib. vrbē nitebatur vendicare afficitur. Poſthæc deuicta ſubiugataq; Narbona ad inſequendum Paulum, qui ſe in Nemauſum contulerat, iter dirigitur. Deinde Beterius & Agathæ ciuitates illico ſubiugantur. In Magalonēſi vero vrbe Gumildus loci ipſius antiſtes cum ad obſidionem ſui circumfuſum videret exercitum, vrbemq; ipſam non tam ab iis qui per terram pugnaturi acceſſerāt, quam ab iis cingi, qui nauale prælium acturi per mare commeauerant: huius rei clade perterritus compendii viam arripuit: Nemauſumq; ſecum Paulo contulit. Sed cū exercitus Hiſpaniæ Gumildum fugiſſe perſenſit, ciuitatem mox Magalonenſem nō diſſimili victoria cepit: & directa acie Nemauſenſem vrbem debellare cōtendit. Prima per quatuor duces præliādi facies cum electo pugnatorum agmine deſtinata eſt: quorum robuſta iuuentus triginta ferme millibus principem anteibat. Hic idē nobili præcurſu Nemauſum, vbi cum Paulo Francorum exercitus ſe ad vindicandum compulerat, noſtri tendentes, cum nocte tota curſum feſtinati itineris cōfeciſſent, ſubito cum diei lux orta prodiret, apparuere noſtrorum acies armorum pariter & animorum apparatu diſpoſitæ. Quas vt è ciuitate conſpiciunt, vtpote dimicaturi cū paucis in patentes campos armis eos expetendos definiunt: ſed inſidiarum dolos ſuſpicati eligunt potius intra vrbem ſiti de muris bellum cōficere quam extra vrbem improuiſos caſus & pericula ſuſtinere: & expectare auxilium promiſſum gentium aliarum. Vbi aūt ſol refuſus eſt, conſertum eſt bellum à noſtris clangentib. tubis ſagittiſq; ac lapidib. hoſtes in manu valida ferientes. Reſiſtunt perfidi & ad inſtar guttarum pluuiæ petras & ſpicula iaciūt. Acrius ab vtriſq; pugna conficitur, æquo certamine præliatur. Nec à noſtris nec ab illis certamini ceditur: & tota die illa ſub ancipiti ſorte certatur. Sed vnus de incentorib. ſeditionis acriter pugnans, aſpiciens è muro, noſtris inſultans, hæc verba commentat. Quid hic, ait, inſtanter pugnantes conſiſtitis morituri? cur lares proprios non repetitis? an forte caſum mortis ante tempus excipere vultis? quin potius prærupta petrarum non quęritis vbi vos abſcondatis cum facies auxilii noſtri apparuerit? cōdolere me credite vobis ſciēs occurſum ſolatii ſuperuēturi nobis. Mihi res notiſſima manet, ꝙ multiplicia nobis auxilia præliādi occurrant. Tertia dies eſt ex quo inde properās venio. Quapropter hoc ſciens miſerabilis pompæ veſtræ occaſum contriſtatus expecto: & principem veſtrum, pro quo pugnaturi veniſtis, vobis ligatum oſtendam. Non igitur pro eo vobis hic expedit tam ſuperuacue decertare: quem forſan iam conſtat noſtrorum inſidiis interiiſſe. Et quod grauius eſt, dum patuerit victoria noſtra, nulla erit de reliquo vobis venia. Hæc dicens noſtrorum animos non ſolum terruit, ſed acrius in præliandi furorem accendit. Propinquant ad murum. Acrius quam cœperant in bellando conſiſtunt: acriterque conſertum innouant prælium. His igitur actis per ſpatia totius

diei

diei nox tandem finem prælio dedit. In ipſo tamen primo feruore diei, cum adhuc noſtri infatigabili virtute in præliando perſiſterent, remandant ad principem ſibique dirigi auxilium petunt non mediocri prouiſione ſaluti propriæ conſulentes, ſcilicet, ne aut extraneæ gentis dolo præuenti, aut aliis cum quibus decertabant ſubruerent virib. fatigati. Et bene res acta eſt: nam vbi princeps cognouit cum noſtris Paulum tyrãnum decertare nulla de reliquo mora fuit: & per Vandemirum Ducem electos de exercitu decem millia viros ad auxilium pugnantibus deſtinauit: qui nocte tota peruigiles maturatum iter conficerent, & ſuperuentu ſuo non tam hoſtem frangerẽt, quam noſtrorum animos ſolaturi ocius peruenirent. Vbi autem auxilium ſibi miſſum noſtri aſpiciunt, nimia lætitia confortati illi vires ſumunt, & ſtatim ab omnibus pugnandi definitur occurſus. Iam aurora apparere inceperat, & ſtipata per murum hoſtilis proſpicies multitudo videt per ſerenam aciem luminum multiplices, quam pridiana die viderat, excreuiſſe acies pugnaturum. Iam tunc caput perfidiæ Paulus ad tantæ rei viſionem in quondam præminenti loco conſcenſurus occurrit. Qui mox vt noſtrorum acies diſpoſitas videt, animo decidit his verbis pronunciando. Recognoſco, inquit, hoc diſpoſitum pugnæ ab æmulo meo procedere. Hic ipſe eſt nec alius puto. in ſuis enim eum diſpoſitionibus recognoſco. Hæc & his ſimilia dicens animum reuocans, verbis ſuaſoriis ſuos cæpit confortare dicens: Nolite pauore turbari. Hæc eſt tantum Gotthorum illa famoſiſſima virtus, quæ ſe venire ad ſuperandos nos ſolita temeritate iactabat. Hic principem, hic totum eius exercitum credite nunc adeſſe. Nihil eſt quod de reliquo timeatis: famoſa ſiquidem virtus Gotthorum antea fuit, & ſuis in defenſionem & aliis in timorem: nunc autem omnis in illis præliandi virtus emarcuit, omnis ſcientia pugnæ defecit. Nullus illis bellandi mos, nulla conflictandi experientia ſubeſt. Quod ſi in vnum conferti prælium conſerant, ad definita ſtatim euolabunt latibula: quia degeneres eorum animi pondus prælii nequeunt ſuſtinere: ſed potius hæc quę dico cum præliari cæperitis in meis verbis actu probabitis. Nihil ergo eſt de cætero quod paueſcere debeatis, præſertim cum Regem & totum exercitum eius hic videatis adeſſe. Ad hæc plerique ex ſuis aſtruebant, Regem ſine vexillis ſignorum nõ poſſe procedere. Ad quod ille dicebat, ideo illum bandorum ſignis abſconditis acceſſiſſe vt intellectum ſuis hoſtibus daret alium adhuc exercitum ſupereſſe cum quo ipſe poſt futurus accederet. * Sed hæc tota, dicit, illuſio, agit fraus: vt quos virtute non valet deuincere dolo conſilii humiliat ad pauorem. Nec dum Paulus hæc verba compleuerat, & ecce ſubito à noſtris bellorum concrepant tubæ, bellumque adorſi pridiani diei decertandi faciem innouant. Sed illi plus in muris quam in viribus vincendi locantes confidentiam intra vrbem per murum ſpicula iactant, & rediuiua cum noſtris iterum certamina innouant. Efferbuit itaq; ab vtraque parte incendium belli, ſed acrius à noſtris virtus patuit præliandi. Cum autem totis viribus decertarent, & hoſtem intra vrbem diuerſo genere armorum proſternerent: plerique ex iis qui erant vulnerati Gotthorum virtutem pariter ac conſtantiam admirantes, Paulum adorſi ſunt dicentes. Non illam quam dicebas, in Gotthis bellandi ſegnitiẽ cernimus: multam enim in illis audaciam & vincendi videmus conſtantiam. Hæc quæ excipimus vulnera docent, quod tam validos ictus in hoſtem proiiciunt, & ante fragor ipſe deterret, quam percuſſi vitã extinguat. Quorũ Paulus deterritus verbis multiplici deſperationis iaculo angebatur. Gotthi vero conſtantius dimicantes victoriam ſuam recraſtinari dolentes, acriori animoſitate inſurgunt, victos ſe per omnia reputantes ſi cito non vincerent. Vnde ferociori quam fuerant incenſione commoti vſq; in horam diei quintam continuis præliorum ictibus muros ciuitatis illidunt: imbres lapidum fundibularii cum ingenti fragore dimittunt, ſuppoſitoque igne portas incendunt & irrumpunt. Deinde ciuitatem glorioſe intrantes viam ſibi ferro aperiunt. At vbi feroces noſtrorum animos ſuſtinere nõ poſſunt intra arenas, quæ validiori muro antiquioris ædificii cingebantur, ſe muniendos includunt. Sed vbi noſtri hoc perſenſerunt, poſt eos fortiter inſequentes, plures eorũ antequam ſe in caſtro arenarum reciperent gladio ancipiti peremerunt. Pleriq; tamen è vulgo noſtrorum qui prædæ inhiabant gladio conciſi ſunt. Surgit & noua inter ſeditioſos ſeditio: & dum ſuſpicionem proditionis ciues ipſi vel incolæ ad ſuorum aliquos referunt, gladio vindice hos in quibus ſuſpicio vertebatur interimunt. Erat ſiquidem valida perturbatio, ita vt Paulus proprium quendam de ſuis, manibus ſuorum ante ſe iugulari proſpiciens ſuum eſſe vernulam lamentabili voce clamaret, nec ſic morituro in aliquo ſubueniret, vnde effectus exanguis & tremebundus à ſuis ipſis omnino contemnitur. Nam ſuſpectus & ipſe ab incolis cum cæteris qui de Hiſpania cum illo com-

meauerant habebatur; ne ille ad liberationem ſui eorum excogitaret traditionem: Hiſpani vero ne irrogata incolis morte ad religioſum tranſiret Regem. Quid multa? fit intra vrbem miſerabile ſpectaculum præliandi; vtrobiq; cadit perfidorum caterua, vtrobiq; proſternitur, vtrobiq; iugulatur; & qui noſtrorū gladios euadebant, armis ſuorum peribant. Repletur itaq; ciuitas permixto funere mortuorum cadauerib. humanorum. Miſerabile etiam funus erat in domibus, & vbi domorum abdita perluſtraſſes, patentes mortuos reperires: per vias quoq; & plateas vrbis iacere hominum cadauera cerneres minaci quodam vultu & ferocitate immani, tāquam eſſent adhuc in ipſa bellorum acie poſiti. Erat tamen color deformis, cutis lurida, horror immanis, fætor intolerabilis. Quidam etiam de ipſis iacentibus adhuc viuis, qui exceperāt lethalia vulnera mortis, ſpeciem mortuorum ſimulabant vt mortem euadere poſſent. Hæc & his ſimilia Paulus fieri videns tyrannidis ferocitate depoſita, magna cordis anxietate ac miſeria ſtringebatur: cum nec hoſti reſiſtere nec ſuis poſſet in aliquo ſubuenire. Acceſſit tamen ad eum inſultaturus illi vir quidam ortus ex familia ſua. Quid hic ait, aſſiſtis? vbi ſunt conſiliarii tui qui te ad iſtud perduxerunt calamitatis ludibrium? quid tibi profuit contra tuos inſurgere, cū nec tibi nec tuis minime nunc valeas in tanta mortis clade prodeſſe? Hęc dicens inſultabat illi non tam conuitiandi voto quam amaritudinis ſtudio prouocatus. Sed cum ab illo blandis hortaretur ſermonib. vt dolori eius parceret, & cōfuſionem confuſioni non adderet in ipſis gradib. marmoreis cōſiſtens, in quib. iſta illi inſultaturus aduenerat in oculis ipſius Pauli circumuētus à ſuis iugulatus occubuit. Paulus autem quid huic quæritis tremebundus clamabat. Meus eſt dicens, ne pereat: & vt reſeruaretur frequenti vocum lamentatione orabat. Sed iam contemptui habitus quaſi & ipſe continuo moriturus audiri nō poterat. Tunc omnimoda deſperatione permotus regalia indumenta, quæ potius tyrannidis ambitione quam ordine præeunte perceperat, tabefactus depoſuit. Miro occultoque Dei iudicio id agente, vt ea die perceptum tyrannidis regnum deponeret, qua religioſus princeps regnandi ſceptrum à domino percepiſſet. Erat enim dies illa Kalend. Septemb. in qua principem noſtrum conſtabat regale aſſumpſiſſe faſtigium, in hac ergo die irruptio patuit vrbis, tyrānus Paulus regalia depoſuit indumenta, & ſanguinea vltio illata eſt inimicis.

Tertia poſt hæc dies aduenerat cum Paulus poſt noctis ſuſpiria vltimū ſui funus expectat: atq; cum iis cum quib. conſilia ſuæ perditionis habuerat verbum habere cæpit: vt aut vale ſibi vltimū dicerent, aut ſi poſſent ſaluti ſuæ in aliquo conſulerēt. Tunc Argebaudus Narbonenſis epiſcopus communi conſilio ad principem mittitur: qui vitam rogaret oſtenſis & veniam precaretur. Qui oblatis Deo hoſtiis in ipſis veſtimentis quib. dominici corporis & ſanguinis peregerat ſacramentum principē adiit rogaturus: & quarto fere ab vrbe milliario principi dedit occurſum inæſtimabili pugnatorum agmine conſtipato. Quem vt vidit Epiſcopus, de æquo proſiliit, & humo proſtratus veniam precabatur. In cuius occurſu princeps equum pauliſper tenuit, & vt erat miſericordiæ viſceribus affluens, & ipſe illacrymans ſubleuari epiſcopum à terra præcepit. Epiſcopus autem lachrymarum ſingultib. interclusus lamētabili voce dicebat: Heu peccauimus in cœlum & coram te, ſacratiſſime princeps, non ſumus digni, quib. euentus tuæ pietatis occurrat. Qui & promiſſam tibi maculauimus fidem, & in tāto ſumus prolapſionis ſcelere voluti. Parcat orationi tua pietas cito, nec gladius vindex ſemineces reliquias noſtrorum extinguat, nec pluſquam cæpit mucro animas petat. Iube iam exercitum ceſſare à ſanguine & ciuem ciuib. parcere: pauci ſiquidem euaſimus gladiū, ſed pro paucis veniam deprecamur. Parce miſericorditer noſtris reliquiis, vt quia iā in cæteras noſtrorū emanauit iugulum mortis, ſaltem remaneant aliqui quib. miſerearis. Si enim cito non peperceris, nec ipſi quidem remanebunt incolæ ad vrbis tuitionem. His auditis cōmotus religioſus princeps cum lacrymis epiſcopo dixit: victus precib. tuis dono tibi animas quas petiſti: & non illas vltore gladio perdam, nec hodie cuiuſquā ſanguinem fundam: quāquam talium offenſa non tranſeat impunita. Cui venerabilis pręſul diuitiæ inſiſtebat, vt quorum ſibi donauerat vitam, nullam in eis exerceret dānationis iacturā. Sed princeps mox furore cōmotus inclementior redditus dixit. De cætero nobis alias conditiones non imponatis, cū vitam vobis donaſſe ſit ſatis. Tibi autem ſoli ex toto me peperciſſe ſufficiat: pro reliquis vero nihil horū promitto. Et hæc indignans quadam animi ſuccenſione efferbuit: & concita progreſſione triumphū potiturus victorię properat ad vrbem capiendam. Appropinquante aūt principe glorioſo cū incredibili exercituum multitudine, cum ſol refulſiſſet in clypeis, gemino tamē ipſe lumine coruſcabat. Erant ibi innumera bellorū ſigna terrentia, & ipſa quoq; arma radiātia fulgorem

gorem

gorem ſolis ſolito plus augebant. Sed quid dicā [illegible] uæ ibi fuit exercitus pōpa? quis decor armorum? quæ ſpecies iuuenum? quis robi [illegible] ıgnatorum? quæ cōcordia animorum? ſingula explicare quis poterit? maxime cum manifeſte diuina protectio affuerit, quod cæleſtibus indiciis patuit euidenter. Viſus eſt enim Angelorum excubiis protectus noſter exercitus, & ipſos angelos ſuper caſtra coruſca volitatione protectionis ſuæ ſigna prætendere. Sed pauliſper talia ſub ſilentio relinquentes ſuſcepti operis ordinem proſequamur. Cumq; in vnum cōgregatum iam princeps ſenſiſſet exercitum, eminus ab vrbe fere vno ſtadio poſitus, incredibili animi acceſſione permotus diſponit duces, ordinat plebes, diuidit acies, & quibus modis pugnā conficerent inſtruebat. Siquidem fama detulerat quod Franci cōueniebant ad auxilium perfidorū. Tunc electos quoſq; de ducibus mittit viribus & animis præſtantiores, vt Paulum cæteroſque incentores ſeditionum à cauernis arenarum abſtraherēt: in quibus ſe mortem fugientes abſconderant. Nec mora: cum iuſſa factis explerent, extrahitur ſubito Paulus cū ſociis de abditis arenarum, & per murum depoſitus viliter contrectatur. Deinde omnis illa multitudo Gallorum atq; Francorum quæ hinc inde contra noſtros pugnatura confluxerat, cum immenſis theſauris capta eſt & detenta. Deferebatur nequiſſimus Paulus à duobus ducibus noſtris inſedentibus equis, ex vtraq; parte protenſis manibus hinc inde ipſum per capillos tenentes, donec illum religioſo principi præſentarent. Quo viſo magnificus princeps protenſis cum lacrymis in cælum manibus ait: Te Deum Regem omnium Regū, collaudo: qui humiliaſti ſicut vulneratū ſuperbum: & in virtute brachii tui contriuiſti aduerſarios meos. Hæc & his ſimilia fletib. interclusus princeps aiebat. Sed mox tyrannus idē erectis oculis vt faciē principis vidit, ſtatim ſe humo proſtrauit, ſibiq; cingulū ſoluit & collo ſuo ligauit. Iam quidē exanimis, & nimio pauore turbatus, quid illi accideret nō attendēs. Spectabile quidem erat oculis, quomodo de tā ſublimi licet prærepti ordinis culmine, in hac ſubito humiliatione Paulū reprobum deueniſſe. Erat cernere magnū, quā facilis fuerat rerū ipſa mutatio: tam cito videre deiectū quem pridem viderant glorioſum: & quem præterita dies adhuc Regē tenuerat, tā præcipiti lapſu concideret, in ruinam. Impleta ſatis eſt in ipſo prophetia quæ dicit. Vidi impium ſupereleuatum & exaltatū ſicut cedros Libani. Tranſiui & ecce non erat: quæſiui eum & non eſt inuentus locus eius. Quid multa? cum iam ante principis equū Paulus & ceteri huiuſmodi pactionis capti iacerent glorioſus princeps dixit. Cur in tanto malo veſanię prorupiſtis, vt pro bonis mala mihi redderetis. Sed hic quid morabor? ite & eſtote ſub cuſtodiis deputatis, quouſq; de vobis cenſura iudicii agitetur. Viuere. n. vobis donabo etſi non mereamini. Tunc diuiſos per exercitū omnes deputatis & ſolicitis cuſtodib. tradidit. Franci tamen qui capti fuerant benigne tractari iubentur. Erant. n. aliqui eorū nobiliſſimis parentib. geniti: qui Paulo perfido, vt à Francis ei ſubueniretur, erant pro obſidib. dati; ſed vero ex Saxonib. erant. Poſt omnes in vnum munificentia regali onuſtos poſt octauam decimam diem quam capti fuerant, libere remiſit ad propria; Non debere, dicens, victorem inclementem victis exiſtere.

Primo die Kalend. Sept. contra Nemauſenſem vrbem à noſtris inchoatū eſt bellum: & ſequenti die ciuitatis ipſius irruptio facta eſt: tertia quoq; die, quæ fuit quarto Nonarū Septemb. ciuitas ipſa celebri captione deuicta eſt. Sed poſt hæc religioſi principi animus de reparatione captæ vrbis ſolicitus ſtatim murorū caua reformat, incēſas portas innouat, inſepultis tumulum præſtat, incolis ablatā prædam reſtituēs & exulcerata quæq; publico ærario fouēs. Iubet tamen theſaurorū omnem quā ceperat copiam diligentiori ſeruare cuſtodia: nō illectus auaritiæ quęſtu, ſed amore prouocatus diuino ſcilicet, vt res ſacratæ Deo poſſent facilius inueniri, & cultib. diuinis reſtitui. Cumulauerat. n. nefandiſſimus Paulus peccatis peccatū, dum tyrānidi adiunxit ſacrilegiū. Quia niſi ſacris eccleſiis intuliſſet ſpolium, non illi eſſe videbatur, vnde ſuū floreret ærarium. Vnde factum eſt, vt vaſa auri & argēti quamplurima de theſauris dominicis raperet; & coronam illam auream diuæ memoriæ Reccaredus Chriſtianiſſimus princeps ad corpus beatiſſimi Felicis obtulerat, idem Paulus inſano capiti ſuo imponeret.

Tota hæc in vnū collecta iubet princeps prout cuiq; cōpetebat eccleſiæ integræ reformari. ¶ Tertia iam poſt victoriā victorib. venerat dies & Paulus onuſtus ferro cū cæteris cōplicib. malitiæ ſuæ cōſidenti in throno principi exhibetur. Tunc antiquorum more, curuata ſpina dorſi veſtigiis regalib. ſua colla ſubmittit. Deinde corā exercitib. cunctis adiudicatur cū cæteris vniuerſorum iudicio, vt mortē exciperet qui mortem principi præparaſſet. ſed noluit princeps eos mortis ſententia perdere, ſed tantum decaluationis deriſione eos præcipit onuſtos ferro ad præſens ſuſtinere vindictā. Fere-

batur tunc quorundam opinio Francos & Teutonicos ad ereptionem Pauli quam totius feſtinare. Sed princeps non ſolum ob hanc cauſam, verum etiã ob gentis ſuæ præteritas iniurias vindicandas cũ Frãcis cupiebat acrius decertare, & ſuſtinebat quotidie animo fortiori. Sed cũ nullus è Francis ad bellandũ accederet, ipſe potius illis ſe occurſurũ deuouerat, niſi fidelitatis reuocaretur cõſilio, ne pacis inter vtramq; gentẽ firmata pactio rumperetur à Gotthis. Suſtinebat aũt vt dictũ eſt, eorum aduentum: & iã quarta dies effluxerat ex quo Paulũ ceperat: & nulla hoſtis præſumptio, nullus euentus, nulla prorſus hoſtilis conuentio mõſtrabatur. Iam pręterea Franci munitiſſimę vrbis vltimũ ſui, vt ferebatur excidium deplorabant: & ciues earum ne à noſtris præuenirentur, relictis vrbibus longe lateq; incertis ſedib. vagabantur, latebroſis, ſcilicet, vitã compendiis munientes. Nam & religioſus princeps eminus à Nemauſenſi vrbe in plano cum exercitu conſiſtebat. Illic caſtra poſuit, miraq; celeritate Nemauſenſem vrbem fortiſſimis muris & vallo inſtaurari fecit. Vbi cum aduentum hoſtium ſuſtineret, ſubito percurrente nuncio audit vnum ex nobiliorib. ducib. Frãciæ nomine Lupum in Beterrẽſi territorio hoſtiliter acceſſiſſe: vnde concita velocitate egreſſus cum exercitu properãs delatas inimici niſus eſt inſidias pręuenire: ſed Lupus ipſe iuxta villã, cui Aſperiano vocabulum fertur, regreſſum principis audiens, ita territus fugit, vt exercitus duci & dux exercitui videretur deeſſe. Non. n. fugiendo vel ipſe ſuos ſuſtinuit, vel ſui eũ vllo modo aſſequi potuerunt. Quippe quorũ ita pauore diſſoluta fuerãt corda, vt non tã diſperſis viarum aditib. quam montium præruptis elapſi: vtpote iam gladiũ ſuis imminere ceruicibus cernerent, de cõpendio fugæ vitã ſe lucraſſe mõſtrabant, multas pędas hac perturbatione noſtris exercitib. relinquentes tã de hominib. qui eos ſequi nõ poterant, q̃ de iumentis ſiue ſubſtantiis quæ multipliciter innumerabilib. plauſtris adduxerant. Et vtiq; iam lecta bellantium manus à principe deſtinata poterat eos belligeroſis incurſib. aſſequi, ſed tam velox illorum extitit fuga & tã citato finium ſuorum occurrere latibula, vt quo fugerent, quo laterẽt atq; conſiſterent, nulla omnino cenſerentur veſtigia reliquiſſe. Vnde cõperto princeps q; Lupus cum ſuis inueniri non poſſet, placida progreſſione Narbonam contendens vrbem victor ingreditur. Ibiq; quæ dirupta atq; depaſta ab hoſtib. fuerant, iubet princeps ſolicite inſtaurare, atq; Narbonenſem prouinciã regia diſpoſitione reformat, conſiliis inſtruit, Iudæos abiicit, clementiores rectores inſtituit, per quos tanti mali placaretur offenſa, & conſtuprata tantis ſordib. terra nouo cæleſtium inſtitutionum baptiſmate depurata ad veniam admittatur. Statũ omniũ rerum mira pace cõpoſuit, & radices ab ea omnis rebellionis deterſit: atq; fortiũ bellatorum manus ibi dimiſit. Exhauſtis dein princeps Galliis atq; edomitis ſecurus directo itinere ad Hiſpaniam commeauit. Nullos poſt ſe Gallorum motus formidans, nullas Francorum pertimeſcens inſidias, certo ſciens neminem eſſe principũ vicinorum, qui ſecum audeat virib. decertare. Tanta. n. virtute animi atq; conſtantia erat fretus, vt circũpoſitas barbarorum gentes non ſolum non timeret, ſed cõtemneret, vnde adhuc intra Gallias poſitus in loco qui Canabat nuncupatur, cuncto exercitui q; fortiter & feliciter egiſſet relatione gratifica ſatisfecit, omneſq; ab eo loco ſtatim abſoluit. Ipſe quoq; Heliã veniens duorum ibi dierum moram fecit, ſicq; exinde profectus in Hiſpaniam rediit: ſedemq; ſui ſolii ſexto poſtquam inde commeauerat menſe repetiit. Quam celebri triumpho Toletanã vrbem intrauerit de inimicis exultans explicare vel in parte neceſſe eſt, vt ſicut ingentis eius gloriæ ſignum ſecula ſubſecuta laudabunt, ita ſeditioſorum ignominia non excidat à memoria futurorum. Etenim quarto fere ab vrbe Rege miliario Paulus princeps tyrannidis vel cæteri incentores ſeditionum eius decaluatis capitibus, abraſis barbis, pedibuſq; nudatis, induti viliſſimis ſaccis camelorũ vehiculis imponitur. Præibat à capite perfidorũ Rex ipſe perditionis Paulus omni cõfuſionis ignominia dignus, corona picea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem ſuũ longa deductione ordo ſuorum omnes, quib. relatum eſt vehiculis inſidentes eiſdemq; illuſionib. acti, hinc inde aſtantib. & ſibilantib. populis vrbem intrantibus. Nec enim iſta ſine diſpenſatione iuſti iudicii Dei illis acceſſiſſe credendum eſt, ſcilicet, vt alta & ſublimia confuſionis eorum faſtigia vehiculorum edocerentur læſione nimium proiecta. Et qui vltra humanum morem faſtu mentis excelſa male petierant, excelſiores luerẽt ſuæ confuſionis iniurias. Sint ergo hæc in ſecuturis repoſita ſæculis probis ad votũ, improbis ad exemplum, fidelibus ad gaudium, infidelibus ad tormentum: vt vtraque pars in contuitu quodam ſeſe lectionis huius inſpiciens, & quæ rectis ſemitis graditur, prolapſionis caſus effugiat, & quæ iam cecidit, damnatam ſe æternis proſcriptionibus recognoſcat.

*Huc vſque Iulianus.*

Perfido-

Perfidorum denotata tranſgreſſio ideo debet acrius percuti, quo in illicitis videtur auſibus perpetrari. Habeant ergo confuſionis propriæ ſignum, quibus contigit ſacramenti violare promiſſum. Reportent nomen perditionis ad poſteros, quos indulgentia principalis fecit eſſe ingratos. Denotentur inter cuneos perfidorum, qui gentis ſuæ excidium parauerunt: vt reportent in progenies ſeculorum titulos infamiæ ſuæ, qui euerſores facti ſunt patriæ: quib. ex clementia princeps dederit viuere. Effoſſionem luminum non euadant, qui patriæ gloriam minuētes proditionis notam temerarie incurrerunt. Ecce prodidit ſeſe in apertum campum infauſta perfidia quę nefandorum ſocietatem cruentis ſibimet amplexibus ſocians ad ſcandalū impulit ciues, ad ſuorum perniciem plebem, ad euerſionem patriæ gentes ad interitum principis nō ſolum proprias, ſed externarum commouit plebium nationes. teſtis eſt horum quæ dicimus terra quæ ipſorum eſt exterminatione detrita. Teſtis etiam eſt cœlum ſub quo nobis eſt attributum à Deo triumphale vexillū. Spontaneo.n. promiſſionis fœdere perfidus Paulus irrupto nouum ſponſionis iuſiurandum conſtituit, quo voluntaria fide promiſſionis diſciſſa electum diuinitus dominum noſtrum Regem Bambanem abiiceret, & maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam nouo ritu periurii non ſolum ſuā ſed & multorum decepit animas populorum, ita vt in iis illud Prophetæ vaticinium impleretur, quo dicitur. Cadent in retia principes eorū à furore iræ Dei, & erit ſubſannatio eorum in omnem terram. Nec non & illud quod Iſaias in talium narrat exceſſibus dicens: Inuenti ſunt in populo meo impii inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auib. ſic domus eorum plenę dolo. Et hæc quidem neceſſario præmiſſa ſufficiant. Nam cum nefandiſſimum Paulū ſereniſſimus dominus noſter Bamba Rex ad vendicationem Galliæ deſtinaret, vt diſſidentes quoſdam ad fidem ſuæ gloriæ matura diſpoſitione colligeret, ſubito iniunctū ſibimet negotium in contrarium mutans, non ſolum diſſidentibus in fide perſiſtendo non obſtitit: ſed ipſe diſſidentia ſui plurimos infideles effecit. In tyrannidem.n. contra prædictum principem gentem, & patriā verſus ſpoliauit ſe primo fide promiſſa & prauitatis textrinii ſui ordiens telam, induit proditionis & periurii maculā. Deinde in glorioſum principem maledicta coniecta & multimoda detractionum atq; iniuriarū de illo conuitia proteſtantur. Poſt hæc ꝙ nefas eſt dici, regnum contra Dei voluntatem arripuit, & populos in hac nefaria conſpiratione ciuium iurare coegit, vt contra fidem glorioſo principi redditam agerent: & necem, vel deletionem principi exhiberent. Hūc præcipue ordinem in ipſa peruerſarū conditionū ſerie ſeruans vt glorioſum dominū noſtrū Bambanem infauſtū Regem nominare auderet. Quod vtiq; nomen iuxta interpretationem ſui infelicē ſignificat eſſe. Qui adhuc inſuper tyrannicę ſortis apice prouocatus prouinciā omnem Galliæ & partē aliquā Tarraconenſis prouinciæ tumultuoſo ſui iuris imperio ſubdens ſpeciales omniū munitiones per ſingulas quaſq; ciuitates cōſtituit, defenſoreſq; in eis ꝓprios ordinauit. Huius rei nefariæ temeritate cōpulſi ſumus arripere arma, & tot interiacentib. terris nefandorū perfidiam inſectare. Vnde ad horū coniuratorū tyrannidem protinus extinguendā in Tarraconenſem prouinciā, & in Gallias pugnantes acceſſimus, & diuina nobiſcum comitante manu ad ipſas ciuitates vſq; atq; caſtella venientes, hos ipſos ſatellites defenſoreſq; ciuitatū & caſtrorum feliciter cepimus. Nā primum ad ſatellites repugnātes Barcinonā cum exercitu accedētes Euredū, Pompedium, Gutrifredum, Arnulfum, Diaconum & Neufredum eandē ciuitatē vindicantes cōprehendimus. Dein ad clauſuras venientes caſtra ipſa diſpoſito exercitu ꝑ iuga Pyrenæi mōtis intrauimus, & vendicatores eorundē caſtrorum cōprehendimus, Ranoſindū, Hildegiſum, Heliam, Carmenū, Maureconem, Vandemirū, Diagerū, Cixanem & Liubanē. Hos etiam belligeroſis incurſib. properantes cōprehendimus in caſtro caucoliberi, i. Leufredum & Gugidillū, atq; prædictorum coniuges. Caſtrū quoq; Libiæ ꝙ eſt caput Ceretaniæ, ſimili ordine properātes ingreſſi ſumus quoniā Iacinthus ipſe cū Arangiſclo in vna cōcordantes perfidia poſt Pauli perfidi, vendicabant. Sed ꝗa idē Iacinthus idē caſtrum Libiæ vendicare nō potuit, nec ipſe Deo fautore manus noſtros euaſit. Quorū omnium cōprehenſionem, ſiue ingreſſum noſtrum Gallię, cū idem Paulus perfidus per fugā Francorū, quos ad vindicādas clauſuras direxerāt cōperiſſet, relicta & ipſe ciuitate Narbona fugæ ſe præſidio dedit: relictis ibi etiā conſeruatorib. ciuitatis ipſius, ſcil. Ramirū pſeudoepiſcopū, Victimirū, Argemundū, & Galtritionē Primiceriū. Qui etiā Ramirus viſo exercitu antequā ciuitas ipſa expugnaretur petiit fugā. Sed mox in Beterſēſi territorio cōprehenſus noſtras nō effugit manus. Vnde cū p̄dictos Victimirū & Argemundū Laicos ſiue Galtritionē, Primiceriū Narbonā vindicātes, &

contra nos acriter dimicantes cepiſſemus, Agatẽſem ciuitatem imperio glorioſi domini noſtri ſubegimus, cõprehendentes in ea Vileſmundum Epiſcopũ & Arangiſclum & Ranoſindũ Germanum Vileſmundi epiſcopi. Poſt hæc cum diuino iudicio adiuuante ad expugnandã Magalonẽſem ciuitatem accederemus, cum duob. exercitibus, nauali, ſcilicet & terreſtri, Gumildus epiſcopus ſtatim eandem ciuitatẽ reliquit, & fugam petens Nemauſum ſe cum Paulo perfido contulit. Cumq; hanc ipſam Magalonẽſem ciuitatem defenſoresq; eius glorioſius cepiſſemus, ſtatim vſq; in Nemauſum poſt prædictum Paulum ſociosq; ſuos pugnaturi peruenimus. Ibi ſe idem Paulus, non ſolum ſuorum perfidorum fretus audacia, ſed etiam Francorum munitus auxilio, ad dimicãdum contulerat. Quo in loco inſtantiſſime pugnans, & in perfidiæ temeritate perdurãs, tandem diuinis iudiciis noſtriſq; armis eadem ciuitate irrupta victus captuſq; eſt Paulus. Eius & ſocios cõmemorare neceſſe eſt, quos & pugnantes contra nos in eadẽ ciuitate dure pertulimus, & qui tandiu eius perfidiæ inſtantiſſime adhæſerunt, quãdiu cũ ipſo nefandiſſimo caperentur, id eſt Gumildus epiſcopus, Friuſcus, Frodarius, Vuitimirus, Ranemũdus, Adoſindus, Adulfus, Maximus & Gotila, excepta vulgi multitudine Francorum vel Saxonum, quæ in eadem ciuitate cõprehenſa eſt. Hic igitur ſceleratiſſimus Paulus dum cõuocatis adunatiſq; omnib. ibidem ſeniorib. cunctis & palatii Gardingis omnib. omniq; palatino officio ſeu etiã adſtante exercitu vniuerſo in conſpectu Regis glorioſi noſtri Domini è prædictis ſociis ſuis iudicandus aſſiſteret, ſic prædictus princeps ſuper præmiſſa coniurationis interpoſitione eum allocutus eſt dicens: Adiuro te per nomen Omnipotentis Dei, vt in hoc conuentu fratrũ noſtrorum contendas mecũ iudicio: ſi aut te in aliquo læſi aut occaſione cuiuslibet malitiæ tibi malum nutriui, per ꝙ excitatus hanc tyrãnidem ſumens huius regni apicẽ ſuſcipere attentares. Mox idem nefandiſſimus Paulus voce clara teſtatus eſt dicens: Per Deum quia neq; à gloria veſtra ſenſi me eſſe læſum, neq; à vobis mali aliquid pertuli, ſed tantum boni in me impartiri iuſſit clementia veſtra, ꝙ percipere nullatenus merui. Ego tamẽ Diaboli inſtinctu prouocatus id feci. Similiter iam dicti ſocii ſui quęſiti ſunt, & omnes ſimiliter reſpõderunt: vnde prolatæ ſunt conditiones vbi ſpontanea promiſſione in electione glorioſi Domini noſtri Bambę Regis ipſe nefandiſſimus Paulus cum ſociis ſuis vna pariter nobiſcum conſenſerunt, & inuiolabiliter ſe illi & patrię fidem obſeruaturos eſſe ſub diuini numinis ſponſione teſtati ſunt, quas etiam ſponſiones manus ſuæ ſubſcriptionib. notauerũt. Quibus conditionibus perlectis, quas ipſi maligne reſecuerant, ad confuſionem perfidiæ ipſorum ſubſcriptio manus eorum in ipſis conditionibus eis aſpicienda oſtẽditur.

Poſthæc aliæ conditiones ad quas ipſe perfidus Paulus populum ſibi iurare fecerat, relectæ ſunt. In quib. iſte impietatis, & crudelitatis ordo ſeruatus eſt, vbi ipſi Paulo omnes ſocii ſui ſub iſto ordine iurauerũt, vt & fideles illi eſſent, & vnanimes cũ eodem contra glorioſum dominum noſtrum Regem Bambanem pugnarent, atq; in deiectionem eius vel periculum vſq; ad effuſionẽ ſanguinis dimicarent; vel contra eos qui eundem Regem defendere voluiſſent. Infauſtum iam dictum Regẽ glorioſum Bãbanem (vt præmiſſum eſt) in ipſis conditionib. temerarie reperitur ſcriptum. Iis excurſis atq; perlectis Canonum eſt prolata ſententia ex Concilio Toletano qualiter debeãt puniri huiuſmodi tranſgreſſores. Regnantes poſt hæc Domino noſtro Bãbane CCLXX. naues Sarracenorum Hiſpaniæ littus aggreſſæ occurrentib. eius exercitib. omnes ibi deletæ ſunt & ignib. concrematæ. Hic glorioſus Rex ad confirmationem catholicæ veritatis Synoda Toleto agere ordinauit ſæpius, vt in canonica ſententia clariſſime declaratur.

Et quia præpediente malignitatis auctore, qui ad bonorum diſcordiã ſemper tendit, tempore bonæ memoriæ Chindaſuindi Regis, ex Græcia venit vir quidã nomine Ardebaſtus Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore ſuo expulſus in Hiſpaniã eſt aduectus, quem Chindaſuindus Rex magnifice ſuſcepit, & ei in coniugio cõſobrinam ſuam dedit. Ex quo coniugio natus eſt filius nomine Eruigius, qui cum eſſet in palatio Regis nutritus & honore Comitis ſublimatus, elatus ſuperbia callide aduerſus Regem Bambanem excogitauit, & potionem lethiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit. Cumq; epiſcopus ciuitatis ſuæ, & optimates palatii qui erãt fideles Regi & eis potionis cauſa latebat, vidiſſent Regem iacentẽ abſq; memoria, cauſa pietatis commoti pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem ſancti olei & communionẽ Chriſti corporis obtulerunt. Sed factum eſt vt Rex à potione liberatus cũ perſenſiſſet quod illi extremæ vnctionis epiſcopus peregerit ſacramentum, ad monaſteriũ perrexit, ibiq; quandiu vixit, in religione permanſit. Regnum feliciter rexit annis decem, & in monaſterio vixit annis duodecim. Morte propria deceſſit.

Era

Era DCCXIIII. dictus Eruigius regnum obtinuit, quod cauſa quia erat conſanguineus Chindaſuindi tyrãnide ſumpſit. Hic ſynodã multa cum epiſcopis apud Toletum egit, leges quæ à prædeceſſoribus ſuis editæ fuerant ex parte corrupit, & ex parte correxit, & ab Iſidoro Hiſpalenſi epiſcopo Hiſpaniarum primate traditas ex nomine ſuo annotare præcepit, vel antiquas vocauit, ne nomine eccleſiæ forum iudiciale agi videretur. & Romani Pontificis aſſenſu ſtatuit, vt nullus archiepiſcopus Hiſpaniarũ ſubderetur alicui primati niſi Romano. Tamen pius & modeſtus erga ſubditos fuit, & filiã ſuam nomine †Caſilonem magno viro Egicæ conſobrino Bambæ in coniugem dedit. Cixilonam Regnauit annis octo, finiuit Toleti.

Era DCCXXI. Egica gener Eruigii regnum accepit. Sapiens quidem & patiens fuit, ſynoda generalia egit, gentes multas intra Hiſpanias rebellantes perdomuit. Cum Francis ter bellum geſſit: ſed nullum triumphum habuit, nec quidem victus fuit. Cum autem confirmatus eſſet in regno, auunculus eius Rex Bamba ei præcepit, vt coniugem dimitteret, eo quod pater eius Eruigius eum callide expuliſſet à regno. Ille quidem iuſſa compleuit, ſed filium nomine Vuitizam habuit ex ea quem idem Rex participem in regno fecit, & in ciuitate Tudenſi habitare pręcepit, vt ipſe pater teneret regnum Gotthorum & filius Sueuorum. Hic Vuitiza Fafilam ducem filium Chindaſuindi Regis, quē Egica Rex illuc cũ filio direxerat, vxore Vuitizę inſtigãte in capite claua percuſſit: vnde idē Fafila poſtea ad mortē venit, & in villa quæ eſt iuxta flumen Vrbicum quam duodecim manus appellant, & alii nunc Palatiũ vocant, ſepultus fuit. Rex vero Egica regnauit ſolus annis duodecim & poſtea cum filio annis quinque. Toleti vitam finiuit.

Era DCCXXXIII. Vuitiza regnum patris eo viuente obtinuit. Iſte quidem probroſus & flagitioſus fuit, & multa nefanda & horribilia flagitia per Hiſpanias ſeminauit, & ad voluptates carnis ſoluto impudicitiæ freno ſe fornicationibus multis contulit, & gentem Gotthorum ad laſciuiam luxuriam & ſuperbiam inclinauit. Namque poſtpoſita omni religione diuina ſpretiſque animarum medicamentis, cupiditas alienas res inuadendi, rapiendi & luxuriandi exercitus Gotthorum inuaſit. Sed epiſcopi & eccleſiæ miniſter aſpernabantur eccleſiaſtica officia: pro nihilo habebant ſynodalia, clauſis foribus eccleſiarum, deſpiciebantur eccleſiaſtica ſacramenta. Deſpiciuntur ſancti patris Iſidori inſtituta, deiiciuntur concilia, ſacri canones diſſoluuntur, & quidquid honeſtatis eſt extirpatur. Et ne aduerſus eum inſurgeret ſancta eccleſia, epiſcopis presbyteris, diaconibus, & cæteris eccleſiæ Chriſti miniſtris carnales vxores laſciuus Rex habere præcepit, & ne obedirent Romano Pontifici ſub mortis interminatione prohibuit. Iſtud quidem cauſa pereundi Hiſpaniæ fuit ſicut ſcriptum eſt, abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum. Habuit præterea nefandus Vuitiza ſimiliter plures vxores & concubinas, atque ſuis ducibus vt ſimiliter agerent imperauit. Tota Gotthorum nobilitas in cõuiuiis, libidinibus & vitiis verſa, dominum ad iracundiam prouocauit, ita vt in illis impleretur quod dicitur. Impius cum venerit in profundum malorum contemnit, quod quia Reges & ſacerdotes dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hiſpaniarum derelicta à domino perierunt. Itaq; Vuitiza datus eſt in reprobum ſenſum & muros cunctarum vrbium ſui regni ſubuertit, ne poſſent ſibi reſiſtere ciues, & vt eos ad ſua ſcelera facilius inclinaret. Muri tamen Toletanæ vrbis & Legionenſis & Aſtoricenſis integri remanſerunt propter earundem reuerentiam ciuitatum. Succenſus & malitiæ zelo Theudefredum Cordubenſem ducē dolo cepit priuatumq; vtroq; frontis lumine miſerabiliter palpitare fecit. Fuit enim Theudefredus ex Gotthorum regali ſtirpe progenitus, ſcilicet, filius Chindaſuindi Regis, quem pater in ætate reliquerat puerili. Cumq; ad ætatem veniſſet virilem, videns eũ Egica Rex elegantem, & recogitans ne cum Gotthis ſurgeret contra ipſum, expulit eum à regno: qui veniens Cordubam ſortitus eſt vxorem ex regali genere nomine Ricilonem: & ex ea natus eſt ei filius nomine Rodericus, qui cum ad ætatem perfectã veniſſet vir bellator extitit, & Cordubæ palatium fortiſſimum fecit. Ne igitur Theudefredus Vuitizę poſſet reſiſtere eum, vt dictũ eſt, orbauit oculis. Præterea Pelagiũ filiũ ſupra dicti ducis Fafilæ Vuitiza capere voluit, vt ſimiliter ipſum orbaret, ſed Pelagius fugit, quia voluit dominus Hiſpaniæ ſubuenire per ipſum. Exulato etiã Iuliano Toletano epiſcopo intruſit filiũ ſuũ Oppam vt eſſet Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſimul & Toletanus contra ſacrorũ canonum inſtituta. Addidit & Vuitiza iniquitatem ſuper iniquitatē, & Iudæos ad Hiſpanias euocauit, atq; fractis eccleſiarũ priuilegiis Iudæis immunitatum priuilegia dedit. Deus aũt tantum facinus, tantamq; malitiam abhorrēs hominum ruinam & ſubuerſionē Hiſpaniarum populis intulit. Regnauit Vuitiza annis quindecim & morte propria Toleti deceſſit.

Era DCCXLVIII. Rodericus filius Theudefredi conſilio magnatorum Gotthicæ gentis in regnum ſucceſſit vt belliger & durus & ad omne negotium expeditus, ſed vita & moribus Vuitizæ non diſſimilis. Hic anno regni ſui tertio iniuriam patris vlciſci feſtinans duos filios Vuitizæ Farmarium & Expulionem ab Hiſpaniis cum ſummo dedecore expulit. Qui ad Tingitanam prouinciam transfretantes Iuliano Comiti ipſius patrię adhæſerunt, quem Vuitiza Rex intra ſuos ſcutarios familiarem habuerat cariſſimum. Qui condolens expulſioni eorum & dedecori conſilium iniit cum eis quatenus Sarracenos euocarent, & cum eis illatas ſibi iniurias vindicarent. Ad hoc facinus peragendum incitabat Iulianum, quod Rodericus Rex filiam ipſius non per vxorem, ſed eo quod ſibi pulchra videbatur, vtebatur pro concubina, quam pro vxore à patre acceperat. Erat hic Iulianus vir ſagax & aſtutus, & callide incitauit Francos vt expugnarent Hiſpaniam citeriorem. Finxit etiam ſe eſſe amicum Regis Roderici, & callide conſuluit vt equos & arma ad Gallias mitteret & ad Africam: quia in interiori Hiſpania ipſe regnabat ſecurus, & non erat neceſſe vt haberent arma in patria quibus ſe mutuo interficerent. Tale tunc ad hoc Rodericus Rex dedit edictum, vt vbicumque arma inuenirentur vel equi fortiſſimi violenter dominis auferrentur, & in Africam vel in Gallias mitterentur. Fauebat huic proditioni Oppa primas Hiſpalenſis & Archiepiſcopus Toletanus, quem pater eius Vuitiza duabus regalibus præfecerat ciuitatibus, vt per eum poſſet catholicæ fidei ſtatum euertere. Igitur era ſeptingenteſima quinquageſima ſecunda Vlit fortiſſimus Rex barbarorum totius Africæ ducatu, Iuliani & filiorum Vuitizæ fretus auxilio, vt cognouit quod arma & equi non eſſent in Hiſpania & ciuitates eſſent abſque muris Tharich Strabonem vnum ex ducib. exercitus ſuis cum vigintiquinque millibus fortium pugnatorum ad Hiſpaniam præmiſit, vt cognita Iuliani dubia fide bellum cum Hiſpaniæ Rege inciperet. Terrebant namque barbarum Regem laquei doloſi Tingitani Comitis ſi forte adeſſent, quippe qui ipſum habuerat ſemper infeſtum & fortem viribus & conſilio ſapientem expertus didicerat. Ceperunt nunc Sarraceni Hiſpalim & circuniacentes vrbes, quia eas abſque murorum ambitu inuenerunt inermes. Rex autem Rodericus dum vidiſſet dolos Iuliani Comitis Tingitani & barbaros ſenſit adeſſe; collecto Gotthorum exercitu armatus vt potuit acer & fortis primo ſubiit pugnam, adeo vt per ſeptem continuos dies infatigabiliter dimicans ſexdecim millia & Tharich exercitu interficeret. Iulianus vero & duo filii Vuitizæ, qui erant in præſidio Maurorũ, poſtquam Regem Rodericum in prima acie certare cernunt, Chriſtianos milites pro mortuis Sarracenis & ſauciis commutando barbaros viribus roborabant.

Sed poſtquam Iuliani fides per totam Africam declaratur, Muza exercitus Africani Regis princeps cum infinita multitudine equitum peditumque ad Hiſpaniam dirigitur. Deinde renouato bello turmas vnas poſt alias ad prælium barbarus augere cæpit. Porro Rex Rodericus more ſolito prælio intentus cæpit acrius inſtare, ac propenſius in hoſtes ferire. Tandem vero inſtantibus barbaris Hiſpani milites cæperunt deficere atque per longitudinem belli fatigati, quiſq; hoſti locum dare. Terribiliter Gotthi qui erant ex parte Comitis Iuliani irruebant ſuper Hiſpanos & ad præliandum barbaros animabant. Rodericus autem vbi ſe à ſuis vidit deſtitui, per aliquot dies terga præbens paulatim pugnando vt credimus occubuit, ſed non ſcimus certum interitum eius. Regnauit annis ſeptem menſibus ſex. Rudis tamen poſtea in ciuitate Viſeo inuenta eſt lapidea ſepultura, in qua epitaphium eſt ſuperſcriptum, ſcilicet, hic requieſcit Rodericus Rex Gotthorum. Receſſerat manus domini ab Hiſpania ob inueteratam Regum malitiam ne in tempore huius ruinæ eam protegeret. Omnes deinceps Gotthorum milites fuſi fatigatiq; fere vſque ad internicionem gladio & inedia perierunt. Non ſolum modo inſecutionibus barbarorum, verum etiam Francorum armis ex parte Galliarum conſumpti ſunt.

Poſt hæc Mauri viribus Gotthicis non obſtantibus totam Hiſpaniam fere atque prouinciam Burdigalam & Pictauiam ferro, flamma, fame attritas ſuo dominio mancipariunt. Legionenſem vero ciuitatem quondam caput regni Sueuorum fame ſibi ſubiugauerunt, multis Gallecorum in defenſione ipſius vrbis viriliter obſiſtentibus hoſtili gladio trucidatis. Vrbs quoque Toletana multarum gẽtium victrix Iſmaelitis triumphis victa ſuccubuit per proditionem Iudæorum, quia fortior & rebellior fuerat. Nam dum Chriſtiani in die ramis palmarum ad eccleſiam ſanctæ Leocadiæ extra vrbem regiam ob reuerentiam tantæ ſolemnitatis ad audiendum verbum Domini cõueniſſent, Iudæi qui proditionis ſignum dederant Sarracenis, Chriſtianis claudentes portas Sar-

racenis